Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Scharf

Johannis Scharfii ... Metaphysica Exemplaris, Seu Prima Philosophia, Ante triginta quinq[ue] annos in magna Studiosorum frequentia, praelectionibus Academicis proposita, exemplis illustrioribus declarata, & in usum studiosae iuventutis unice conformata : Nunc vero iterum iterumq[ue] revisa ex Platone, Aristotele, aliisq[ue] probatis Autoribus illustrata & locupletata

Editio Octava accuratissime recognita Cum Admonitione ad Studiosos, De Vitandis vanis Novitatibus, [et]c., Wittenbergae: Wittenbergae: Mevius: Schumacherus: Henckelius, 1667

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77015199X

Druck Freier Zugang





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77015199X/phys_0001
DFG

Fr. 476 yy Fnd

I. a. 7.

E. b. 3109.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77015199X/phys_0002
DFG

Ex Testamento Scheffelians.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77015199X/phys_0003
DFG

JOHANNIS SCHARFII,

Theol. D. Professoris & Præpositi,
Philosophi & Theologi Witteberg. nec non
Senioris emeriti,

Metaphysica Exemplaris,

Seu

PRIMA PHILOSOPHIA,

Ante triginta quinq; annos in magna Studiosorum
frequentia, prælectionibus Academicis proposita, exem-
plis illustrioribus declarata, & in usum studiosæ juven-
tutis unicè conformata,

Nunc verò iterum iterumq; revisa ex Platone, Aristotele, aliisq; probatis Autoribus illustrata & locupletata.

EDITIO OCTAVA

accuratissimè recognita

Cum Admonitione ad Studiosos,

De

Vitandis vanis Novitatibus, &c.

VVITTEBERGÆ,
Sumptibus Hæred. D. TOBIÆ MEVII, &
ELERDI SCHUMACHERI,
Excudebat MATTHÆUS HENCKELIUS,
Anno clɔ Iɔc LXVII.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77015199X/phys_0005
DFG

ACADEMIÆ
WITTEBERGENSIS
CELEBERRIMÆ,

MAGNIFICO

DN. RECTORI,

Ut &

CÆTERIS PATRIBUS
CONSCRIPTIS,

VIRIS admodùm Reverendis, Amplisſimis, Conſultisſimis, Experientisſimis, atqve Clarisſimis,

Dominis Patronis, Promotoribus,
Fautoribus & Collegis apprimè venerandis,
& ætatem honorandis.

Hocce, qvale, qvale, Metaphyſices Compendium conſecrare, & perpetuæ obſervantiæ monumentum ponere

voluit

AUTOR.

Ex Bibliotheca Academica Rostochiensis

PRÆFATIO
Ad Lectorem Benevolum, Candidumq;.

ANnus qvadrageſimus, & qvod excurrit, præſens iſte eſt, ex qvo per DEI gratiam artes, ſcientiasq; Philoſophicas, qvas vocant, *in florentiſſimo Wittebergenſi literarum emporio* non excolere modò, ſed & aliis exponere cœpi. Qvod meum ſtudium *ſingulari prorſus & mirabili fato* ſuſceptum eò proceſſit divinitùs, *ut poſt Logicas lucubrationes & diſputationes*, Metaphyſicæ qvoq; ſive Transnaturali & primæ Philoſophiæ, *pariter operari ingreſſus fuerim. Factum inde eſt, ut Anno 1624. de ſummario qvodam, ſive Compendio Metaphyſices, adornando cogitationes & meditationes conceperim*, idq́ve in Collegiis privatis non ſemel propoſuerim. Qvod uti olim præviis cenſuris Academicis in lu-

cem prodiit, ita idem istud, *Amice Lector*, nunc rursus *septimâ vice* tibi exhibeo, atqve publicæ usuræ permitto: *Non ut gloriolam vel aliqvantulam saltem inde aucupari, vel olim constituerim, vel nunc affectem, sed uti in toto isthoc opusculo id unicè spectavi, ut conatibus tyronum Metaphysic. subvenirem, δύσκολα εὐκόλως, obscura perspicuè, prolixa breviter proponerem, nec non necessaria duntaxat & utilia, seqvestratis spinosis argutiis, selegerem, inculcaremq́; : sic qvoqve operam dedi qvàm diligentissimam, ut simplici stylo, planâ & facili ratione, totum, qvantum est, adornarem, conscriberemq́.* Qvod propterea populare ac vulgare *non præter meum judicium dixeris*. Nihil abstrusi, aut qvod altum adeò sapiat, hic molior, sed trado *definitiones vulgares* in Scholis Metaphysicorum tritissimas, *Divisiones & Distinctiones* communissimas, pasimqve usitatas. Et eas qvidem iis verbis adscribere placuit, qvibus apud Autores probatos legebantur. Ita enim statuo mecum, *optimam eam docen-*

cendi discendiq; rationem esse, quæ receptissimis, & veterum præsertim, definitionibus constanter adornatur atq; perficitur, additis pro re natâ planioribus declarationibus: novas autem sibi fingere definitiones, repudiatis aut suppressis aliorum antiquiorum decretis, inconsultum censeo, nec non pernitiosum. Sed & Canones seu axiomata subjeci: omnia tamen ita conformata sunt, ut non ad ostentationem, sed ad facilitatem & perspicuitatem insinuandam facta videantur quàm oculatissimè. Uno verbo: Quam nunc Metaphysicam trado, eam juventuti consecratam volo, eamq; ad captum tyronum accommodatam spero. Et hoc ut facerem, jam olim me instigarunt, commoveruntq; causæ benè multæ, satis validæ, uti tum temporis mihi quidem videbantur: Nimirum eâ de re meditari cœperam, quomodo meis amicis concreditis terminos Metaphysicos explicatiùs atq; planiùs proponerem sine obscuritate aut difficultate. Tentavi & aggressus sum opus, & hanc ipsam, quam nunc in luce publicâ versari patior, Studio-

sis non paucis, gnavis sanè & discẽdi cupidis, in magna frequentia Auditorum ad calamum pro more privatim dictavi. An cum fructu meorum Collegarum id factum fuerit, alii edicant. Hoc certè præter omnem meam spem & exspectationem contigit, ut perplurimi Studiosi hancce Metaphysicam *(quam vocitaveram* Exemplarem*) hinc inde transscripserint. Quod impedire aut dissvadere meum utiq; non fuit, nec improbare omninò debui, accidit tamen, non rarò in ejusmodi transscriptionibus, quod, ut secum trahit corruptelas, ita tolerari vix potest: Inprimis tantæ semper βραδυγραφίαν, immò & ψελλογραφίαν multitudini, rectiùs consulendum duxi.* Quâ de causa istam Metaphysicam primò quidem Anno 1625. in Disputationes certas redactam typis publicis exscribendam curavi; *posteà sub forma disciplinæ eandem, svasu & hortatu multorũ, non semel in usum publicum edidi, & nunc iterum iterumq; Autorum probatissimorum testimoniis illustravi, atq; locupletavi.*

Cæterùm scientia illa, quam hodiè

Me-

Metaphysicam vocitant, una est, sibiqve satis constans, nec nova, nec incognita prioribus mundi seculis; *forma docendi, & facies ejus* varia ac multiplex sanè. Antiqvissima veterum monumenta tradiderunt qvædam *de Ente & terminis communissimis* ad Scholas Metaphysicorum spectantibus.

Tractârunt enim eâ de re *Platõ*, Præceptor Aristotelis, tùm *in Parmenide, tùm in Sophisticâ & alibi passim*. Ante Platonem *Parmenides*, *Xenophanes*, *Pythagorei*, *Pythagoras*; ante hos omnes *Ægyptii sacerdotes*; ante hos *Mercurius Trismegistus*, qvi Patriarcha Philosophorum deprædicatur, de qvo refert Jamblichus *sub nomine ipsius extitisse voluminum viginti qving, millia*, vel etiã autore Menestæo, *triginta sex millia, qvingenta & viginti qving*, ut numerãt Autores. Immò & ante hunc *Chaldæi* Sapientiam illam, qvæ Metaphysica postmodum nuncupata est, haut negligenter excoluerunt, à qvibus in omnes gentes rerum scientia manavit,

atqve *apud eos perfecta fuit Philosophia*, qvod & Averroës, Commentator Aristotelicus, diffiteri non ausit, ideò non sine mente scribit, *apud Chaldæos olim eam atq; universam Philosophiam perfectã ita fuisse, qvemadmodum posteà fuerit Aristotel. ætate.* Sic Simias Thebanus Socratis auditor scripsit περὶ τῆς ὄυτῳ, *ut refert Diogenes Laërtius in vitis Philosophorũ:* Simon Socratius *de Philosophia scripsit, qvâ voce antiquitùs appellabantur Metaphysica:* Crito *Socratis amantissimus, librum edidit* sub titulo Sophiæ. *At verò hoc nomine,* Σοφία, *frequenter inscribitur* Scientia Entis objecti Metaphysici. *Sic qvoq;* Perictione, Pythagorea mulier, *librum condidit* de Sapientia, *cujus libri fragmentum affert Stobæus in primo moralium suorum sermone.* Qvæ Σοφίαν sic describit: Σοφία *versatur circa omnia genera Entium: Etenim se habet circa omnia Entia, ut visio circa omnia visibilia:* Imò addit ibidem de Affectionibus Entis: *Accidentia,* inqvit, *Entibus qvædam sanè universaliter omnibus accidunt, qvædam*

verò

verò plurimæ ipsorum, & quædam uni alicui: at universaliter omnibus accidentia contueri & contemplari Sophiæ est proprium. Ex qvibus verbis patet Inscriptio Metaphysices, qvam Aristoteles exinde fecisse videtur *lib. 3. Metaphys. cap. 1.* ajens: *Est qvædam scientia, qvæ speculatur Ens, prout Ens est, & qvæ ei per se insunt.* Plato insuper lib. 5. de Republ. sic docet, *annon Scientiæ cognitio super Ente est, ut est Ens?* Item *eos, qvi Ens unumqvodq; amplectuntur, Philosophos appellat.*

Verùm enim verò facies Sapientiæ illius uniformis non fuit: modò spectatior atq; florentior constitit, modò flaccescere rursũ & sordescere cœpit. Cæterùm difficultas Metaphysicorum præceptorum multos, qvod scio, vellicat, non paucos planè deterret. Hisce ut succurrerem, qvantum in mea tenuitate erat, cumprimis studui *facilitati & perspicuitati, adeò ut ubiq; in qvolibet præcepto exempla ad captũ discentium accommodata conqvisita verim, & lucis ad-*

dendæ gratiâ subjecerim. Et hæc causa est, cur Metaphysicam voluerim nuncupare *Exemplarem*, qvæ non tam sit ἀκρίβεια pro scrupulosis qvæstionibus, sed manifesta facilisqve repræsentatio terminorum, definitionum & distinctionum Metaphysicarum in exemplis manifestis conspicua, pro captu incipientium formata. Nempe ut omnia reddantur clariora & faciliora. Qvantum enim conducant exempla ad res obscuras faciliùs apprehendendas, ipse mecum per experientiam habeo. Hac, inqvam, ratione ac fine nunc sisto *Exemplarem Metaphysicam* ad captum incipientium accommodatam. Qvæ, ut non semel præoccupavi, occupata tota est in utilibus & necessariis dogmatis, remotis prorsus tricis, & argutiis vanis. Certè necessaria ea disciplina est, qvæ *terminos universalissimos explicat, qvæ primorum principiorum notitiam tradit, qvæ distinctionum modos & fundamenta, variarumq; distinctionum classes ostendit, qvæ summa*

ma rerum genera ordine repræsentat. Hæc in nostris libellis Metaphysicis docemus, eaq; utilia & scitu necessaria esse judicamus.

Qvod superest, DEO nostro misericordissimo, fonti & fundo omnis sapientiæ, gratias agimus immortales, qvòd ipse hanc qvoqve lucem scientiarum naturalium inter nos accendere, eamq; in usum suæ Ecclesiæ illucescere voluit.

Deinde post Jehovam, DEUM nostrum Opt. Max. grates debentur maximæ Serenissimo atqve Celsissimo Principi ac Domino, DN. JOHANNI GEORGIO II. Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium Duci, & Sacr. Roman. Imperii Electori & Archimareschallo, &c. Domino & Nutritio nostro Clementissimo, qvi pro singulari suâ gratiâ & clementiâ erga artes liberales & studia philosophica etiam hujus Philosophiæ partis curam ita gerit, ut illam in hac laudatissima Wittebergensi Universitate publicè legi

&

& doceri velit. Sed & *Academia* tandem *Wittebergensis* qvantas laudes & encomia in toto Philosophorum circo habeat propter hanc ipsam primam sapientiam, nemo ignorat, qvi rerum peritus est. Certè ex hac nostra Academia vires & famam recepit non minimam, non obscuram. Qvæ qvantò major est apud Eruditos & ingenuos, eò majorem Academiæ Wittebergensi non immeritò refert gratiam.

Cui propterea totum hoc Metaphysices spicilegium consecrare, ac perpetuæ gratitudinis & observantiæ monumentum ponere volui.

Tu verò, AMICE LECTOR, id ages, ut eo, qvo tradidimus hæc olim, animo accipias, & tuo usui sapienter accommodes.

Vale in Domino, piè vive, feliciter age, ac mihi, depontano seniori, porrò constanter fave, qvi tibi tuisq; studiis benè cupio voveoqve.

Da-

Dabam in meo Musèo, Witteberga
Anno Christi 1659. d. 10. Septembr.

Anno { officii publ. 32.
ætatis 65. current.

JOHANNES SCHARFIUS,
Theol. Doctor & Prof. Publ.
Templi Cathedr. Præpositus,
& Senior emeritus.

Ad

Ad

VIRUM Maximè Reverendum atq; Excellentissimum,

DN. JOHANNEM SCHARFIUM,

SS. Theol. D. & Prof. Publ. Celeberrimum, &c.

Cùm Metaphysicæ Exemplaris Compendium septimâ vice publicaret.

QVi modò naturæ magnum demissus in orbẽ,
Hanc dederas spatio sed breviore capi;
Nunc super immensi flammantia mœnia mundi,
Pluraq; naturæ corpora vectus abis.
Vis animi, SCHARFI, *major se tollit in annos,*
Nec desiderii stat satur illa sui.
Fastiditur humus, nec magnis sufficit ausis;
Et novus in summâ qværitur arce labor.
Nam Te Prima *domum* Sapientia *Vindice pandit,*
Leucoreoq; gregi Diva recludit opes.
Pulcra Boni *facies & sponte adamabile* Verũ,
Cunctaq;, *qvæ* crassâ nomina mole *carẽt,*
Hic referunt obscura suos, Te Interprete, sensus,
Et veniunt facili cuncta legenda modo.
Omnia vestigas mortali pervia curâ, (bes,
Vixq; aliqvid, qvod jam mens meditetur, habÆternùm vives, SCHARFI, *clarissime Doctor;*
Teq; bonus, fuerit dum Witeberga, colet.

MICHAEL WENDELERUS, D. & P. P.

Qvan-

QVando tuæ desunt *Sophiæ* Exemplaria *primæ*,
Et sunt plura typis excutienda novis.
Non mirum est: qvoniam Senior, juvenisq; puerqve
Comparat illa sibi, laudat, amatqve, legit.
Tot meritis *SCHARFI* præclarè in luce locatis
Multiplicas laudes rursus in Orbe tuas.

apponebat

CHRISTIANUS TRENTSCHIUS,
Log. & Metaph. P. P.

Dlm seculo nostro probat se septimâ
Vice hic liber doctus, probatus omnibus,
Qvid, Magne Fautor, *qvæso, qvid primùm explicem,*
Qvid pòst deinde? Dignitatem hujus libri,
Qvâ præminet, adeoq; se per se asserit,
Ut scriptione exactiùs nihil putem?
An Indolem diviniorem, prima cuî
Sua debet incunabula? Et digna illa & hæc
Honore summo laudis æternæ Libro
Hæc ut propria Tibiq; perduret, precor!

CONSTANTINUS Ziegra/ SS. Th.
Licent. Phys. P. P.

IN

In Laborem
Eruditissimum & Elegantissimum, juvenutiq; utilissimum,
Qvem
VIR CLARISSIMUS
Dn. JOHANNES SCHARFIUS,
Philosophus è numero paucorum in excolenda, & dextrè tradenda Metaphysica, subiit, jam iterum iterumq; cum choro rectè sentientium communicat.

Æmula Naturæ, mens admiranda suprema,
Interno proprias lumine lustrat opes.
Dumq; agit hoc, nebulas pro veri pondere sæpè
Arripit, his Divam se putat esse bonis.
Non ita tu, Scharfi, *Sapientum gemma; putamen*
Negligis è nucleo qvæ pretiosa legis.
Hinc Natura tibi laudes, hinc Regula veri
Debuit; & Sophiâ cuncta probante dedit.
Neve parum foret hoc laudari à plebe; Magistram
Aspice, judicium jam probat illa tuum.
Illa suos per te dum cernit surgere flores,
Te Florem regni judicat esse sui.
Qvisqvis es, è Sophiâ qvos vis extolle Dynastas:
Scharfius *è libris nobile Nomen habet.*

Scribebat
JOHANNES DUCHON.
P. Laur. C.

Σὺν τῷ θεῷ καὶ χριστῷ.

PRIMÆ PHILOSOPHIÆ qvam vulgò vocant METAPHYSICAM, COMPENDIUM.

1.

EST qvædam scientia, qvæ universaliter agit de rebus, ut sunt, & explicat ea, qvæ omni Enti per se insunt, & primò conveniunt, hoc est, contemplatur Ens, qvà Ens est, *ut Plato lib. 5. de Republ. & ex eo discipulus ejus Aristoteles lib. 3. Metaphys. cap. 1. docet.* *Arist. l. 3. Metaph. cap. 1.*

2. Qvæ scientia vulgò vocatur *Metaphysica*, cùm agat περὶ τῶν μετὰ τὰ φυσικά, de iis, qvæ post Physicam sunt inventa. Appellatur qvoq; οὐσία, & *Philosophia*. Sic Plato Philosophos appellat eos, qvi Ens unumqvodq; amplectuntur: Hodie à recentioribus vocatur Philosophia prima *ex Aristot. lib. 3. c. 2. Metaph. & alibi passim*, qvia agit de primo scibili, de primis terminis, de primis principiis & causis. *Metaphysica, Prima Philosophia.*

Qvatuor sunt necessaria in omni scibili.

3. Est autem universalissima scientia tradens ea, qvæ in omni scibili sunt necessaria: Ut sunt 1. *Termini communissimi*, undiqvaqve occurrentes, essentia, existentia, subsistentia, esse, inesse, per se esse, per accidens esse, Unum, Verum, Bonum, Malum, Actus, Potentia, Principium, Causa, Necessarium, Contingens, Perfectum, &c. 2. *Principia prima*, & causæ primæ atqve supremæ, qvas juxta ordinem causarum ostendit, ut ex ipsorum terminorum declaratione constabit. 3. *Distinctiones universalissimæ*, in omni eruditione necessariæ, earumqve fundamenta & modi. De qvibus necessariò docetur, ut veræ distinctiones discerni qveant à fictitiis. 4. *Summa rerum genera*, eorumq; species, uti sunt Substantiæ & Accidentia. Qvæ omnia in universali declarat Metaphysica.

1. *Termini.*

2. *Principia prima.*

3. *Distinctiones.*

4. *Rerum genera.*

4. Hoc scilicet est, qvod dicitur, Metaphysicam omnia considerare, in qvantum sunt, aut esse habent, nempe id explicat, qvod est in omnibus rebus; videlicet τὸ esse rei, essentiam, & essendi conditiones, modos & attributa, qvæ non tantùm in Creaturis, sed etiam in ipso Deo, modô tamen prorsus eminentiori,

κατ'

κατ' ἐξοχὴν, μονοτρόπως καὶ ἐξαιρέτως, θεοπρεπῶς, reperiuntur & notantur. Nam & DEUS est, verè existit, essentia, natura, substantia, causa est, Unus, Verus, Bonus est. Qvi termini omnes propriè explicantur in Metaphysica, & qvomodo singulari prorsus modô, & eminenter se habeant in primo Ente, exponitur. Qvam ob causam Metaphysica vocatur *Theologia Naturalis, Aristot. lib. 6. Metaph. cap. 1.* qvòd agat de iis, qvæ etiam DEO conveniunt. *Theologia naturalis.*

E qvibus omnibus facilè intelligitur trita Metaphysicæ definitio:

5. *Metaphysica est Sapientia, qvæ contemplatur Ens, in qvantum Ens est, adeoq; & ea, qvæ ei per se & immediatè conveniunt, ut sunt affectiones & analogata Entis.* *Metaphysica qvid.*

6. Est Sapientia, qvia est habitus ex intelligentia & scientia constans. Non tantùm conclusiones educit è principiis, sed etiam ipsa prima principia, & supremas causas cognoscit, contemplatur, evolvitqve. At hoc Sapientiæ opus est, uti notum est ex *lib. 6. Eth. c. 7.* *Sapientia.*

7. Dehinc Metaphysicæ conveniunt omnes *conditiones Sapientiæ*, uti sunt, 1. omnia cognoscere in universali. 2. Scire *Conditiones Sapientiæ.*

difficillima. 3. Habere notitiam certissimam. 4. Habere aptitudinem maximam ad docendum, & omnia revocare ad prima principia. 5. Propter se expeti. 6. Præesse aliis. *Arist. lib. 1. Metaph. cap. 2.* Qvæ omnia verè conveniunt Metaphysicæ, ut constabit è dicendis. E. vera erit Sapientia.

8. Et qvidem est sapientia de ratione essendi, ut sic, sive de τῷ *esse rerum*, ut loqvuntur, qvippe considerat Ens, qvatenus Ens est: hoc est, explicat essentiam, qvid sit esse, aut essentiam habere, qvot modis aliqvid esse dicatur, itemq; qvæ sint proprietates ejus, qvod est.

Notæ:

1. *Particula Qvatenus notat rationem, sub qva Ens hoc loco consideratur*, nempe in qvantum Ens est. *Vide Manuale Log. lib. 2. cap. 5. de dictionibus restringentibus, item Institution. Log. lib. 2. cap. 7.*

2. *Ens est latissimum & communissimum, qvod omnia suo ambitu complectitur. Aristot. lib. 11. Metaph. cap. 1.* Ideò ait: Τὸ πᾶσιν ἑπόμενον ὂν ἢ ἕν. Omnibus consequens est ens & unum, *lib. 4. Top. cap. 6.*

3. *Ens non est genus.* Rectè *Arist. lib. 2. post. Analyt. cap. 7.* Τὸ εἶναι nullius rei essentia

sentia est. *Ens enim non est genus.* Quod probè notandum est.

9. Finis Metaphysicæ est 1. cognitio terminorum universalium, 2. indagatio distinctionum communissimarum, 3. explicatio principiorum primorum, & deniq; 4. summorum generum demonstratio: ostendit enim, qvomodo omnia, qvæ sunt, revocari possint & debeant ad decem rerum genera, & summatim ad duo capita, nempe ad Substantiam & Accidens. *Vid. Theoria Transcendentalis disp. 1.* *Finis primæ Philosophiæ.*

10. Metaphysices partes duæ sunt: Una est Communis seu Generalis, *altera* est Propria seu Specialis.

11. Communis Metaphysicæ pars est, *qvæ agit de iis, qvæ communiter conveniunt Enti, & omni Enti; adeòq; omnibus rebus insunt, tã substantiis, qvàm accidentibus:* Utpote agit de natura & varietate essendi, de modis & proprietatibus rerũ, de unitate, veritate, toto, partib9, diversitate, compositione, simplicitate, unione, communione, & similibus universalibus rerum attributis.

12. Propria Metaphysicæ pars est, *qvæ agit de summis rerum generibus, & eorum speciebus:* nempe de Substantiis, & Accidentibus. Ordine de singulis.

PRIMÆ PHILOSOPHIÆ

LIBER I.

De Natura & varietate Essendi.

CAPUT I.

De Essentia, Existentia, Ente, ejusq; Cognatis.

1.

TRia in Metaphysicis considerantur, 1. Ratio essendi. 2. Proprietates ejus, qvod est, & 3. Summa rerum genera, & species.

Ratio Essendi. *Ratio Essendi est, qvâ res dicitur esse & existere.* Primò enim res omnis & qvodvis Ens habet suum esse, & rationem essendi, qvâ suo modo est, & ideò τὸ *esse rerum* hìc priùs in communi declarari debet.

2. De ratione essendi notentur: 1. Ejus appellationes, Cognata Entis, ejusq; conceptus, & oppositum. 2. Distinctiones essendi.

Appellationes Essendi. 3. *Appellationes essendi, qvibus ipsum esse* τὸ εἶναι *communiter exprimi solet, sunt Essentia, Existentia, Ens, Entitas, Res, Aliqvid,* Na-

Natura, Forma, Qvidditas, Definitio, & Terminus. Qvæ vocabula in Metaphysicis prægnoſci debent & præliminariter declarari, præſertim cùm ex communi Philoſophorum Doctrina *hoc loco & conſveto loqvendi more* ſint Synonyma, ſive unum idemqve ſignificent, & æqvè latè pateant; ſaltem diſtingvuntur Etymologiâ & impoſitione vocum, aut habitudine & reſpectu diverſo, itemqve ex ordine concipiendi, & loqvendi conſiderandiqve modo diſtincto, de qvibus *prolixè diſſerit Svarez disput. 2. Metaph. ſect. 4. n. 4. & 12.* Nimirum idem objectum Metaphyſ. hoc loco deſignant, & nominetenus inſinuant. Id qvod contra Zoilos & Sciolos hoc loco præoccupandum eſt.

4. *Eſſentia dicitur id, qvod eſt.* Sic *Ariſtot. lib. 1. Phyſ. 17.* & paſſim alibi loco Entis ponit id, qvod eſt, *ut rectè obſervat Svarez disp. 2. Metaph. ſect. 4. n. 1.* Item: *Eſſentia.*

Eſſentia dicitur id, qvod eſſe reale habet, qvodq; per definitionem rei primò exprimitur. Sic eſſentia hominis dicitur id, qvod homo eſt: auri eſſentia eſt ipſum aurum.

5. Aliàs deſcribitur ita: *Eſſentia qvid.*

Eſſentia eſt principium primum & radi-

cale omnium operationum & proprietatum, qvæ rei conveniunt. Et sic dicitur *natura rei.* Nam ex essentia rei primò proveniunt operationes ejus & virtutes agendi. Meritò itaq; dicitur id, qvod est primum operandi principium. Græcis dicitur ἀρχή. Sic essentia ignis est illud, ex qvo primùm oriuntur ignis proprietates & operationes: Utpote ob essentiam suam ignis est calidissimus, siccissimus, calefacit. *Descriptiones sunt, qvæ discendæ rectius, & exponendæ, non negligendæ sunt.*

Existentia. 6. *Existentia est actus essendi, qvo unumqvodq; ponitur extra nihilum.* Et sic est ipsa essentia actualis. Item:

Existentia est ratio essendi, per qvam res sunt extra causas in rerum natura & actu. At res per suam essentiã realem sunt extra causas, ut in se sint aliqvid. Ergò realis essentia erit ipsa existentia. Hinc existere juxta nonnullos dicitur tanqvam *extra sistere*, qvia per existentiam sistitur aliqva res extra causas. Sic & accidentia existunt, calor in igne, humiditas in aqva.

EXEGESIS.

Vox existẽtia sumitur 1. Pro subsistentia. „ Aliàs *existentiæ vox* sumitur 1. *Famosè* „ *pro subsistentiâ ultimatâ*, qvâ per se exi- „ stere dicuntur suppositа. Sic vulgò existen-

stentia distingvitur ab inexistentia, & accidentia dicuntur inexistere. Qvo sensu ὕπαρξις denotat subsistentiam. Hinc existentia dicitur ultima rei actualitas, seu ultimus actus. 2. *Abusivè* sumitur *pro statu & modo existendi*; prout res aliô atqve aliô modô dicitur existere. Sic vulgò putant plura reqviri ad existentiam, quàm ad essentiam. Sic dicunt, Philosophiam considerari vel ratione οὐσίας & essentiæ, vel ratione ὑπάρξεως & existentiæ. *Ratione essentiæ* consideratur, qvando sumitur, prout in se est, vel esse de jure debet. *Ratione existentiæ* cõsideratur, qvãdo accipitur, non qualis esse debeat, sed qvalis de facto esse solet, prout in hominibus existit. Sed ejusmodi vocum ambiguitatibus relictis, nos existentiam propriè accipimus pro actu essendi, qvo res formaliter constituitur in esse Entis, ut sit aliqvid in rerum naturâ.

2. Proflatu existendi.

Res considerantur

Ratione essentiæ.

Ratione existentiæ.

3. Propriè.

Nota: in Creaturis distingvuntur Essentia, Existentia, Subsistentia, & Inhærentia.

Distingvuntur hi termini.

Essentia dicitur illud, qvo primò aliqvid constituitur intra latitudinem Entis realis, prout distingvitur ab Ente ficto. Svarez. disp. 31. sect. 6. Sic Essentia alicujus dicitur id, ratio-

Essentia.

„ ratione cujus in ordine Entium ponitur.
„ Vocatur *esse essentiæ*. Qvod ipsum, qvia
„ definitione rei exprimitur, appellatur
„ qvidditas rei, cùm essentia declaretur
„ per definitionem, ita ut intelligatur,
„ qvid res sit.

Existentia. *Existentia dicitur actus vel ratio essendi,*
„ *per qvam essentia est extra suas causas, inde-*
qꝫ ponitur in rerum natura. Qvæ ratio
„ essendi est in omnibus realibus & actua-
„ libus essentiis, sive sint Substantiæ, sive
„ accidentia. Vocatur *esse existentiæ.* Sed
„ tamen hi termini, essentia & existentia,
saltem ratione distinguuntur: prout mens
„ primò concipit qvidditatem, qvam vo-
„ cant essentiam, & deinde eandem rem
„ considerat, prout est actu in rerum na-
„ tura: qvem actum essendi vocant existen-
„ tiam.

Subsistẽtia. *Subsistentia est modus existentiæ contra-*
ctior & ulterior terminus, qvi solis com-
„ petit substantiis, per qvem actum sub-
„ stantia ita existit in se, ut non sit in alio
„ tanqvam in subjecto, ut ignis, fumus, aër,
„ terra, vapores, metalla, plantæ, animalia,
„ sic homo per se & in se existit.

Inhærentia. *Inhærentia est modus inexistendi in alio*
tanqvam in subjecto, sine qvo res existere
pror-

prorsus neqvit. Sic accidentia hærent in substantiis. Ut lux in stellis, splendor in Sole, calor in igne, albedo in cretâ, nigredo in panno, ut infrà constabit fusiùs.

Præcepta.

7. Ens est id, qvod habet esse. *Communis ea est descriptio, qvalis dari potest de communi conceptu Entis, ut benè monet Svarez. disp. 44. Metaph. Sect. 1. n. 10.* Item: Ens.

Ens est, qvod habet essentiam realem, aptamq; ad realiter existendum. h. e. non fictam, sed veram, *uti describit Thomas Aqvin. in Opusc. de Ente & essent. Svaretz. disput. 2. sect. 2.* Græcis dicitur τὸ ὄν.

8. Qvæ Descriptiones vulgares meritò retinentur, cùm faciliores aut meliores haberi neqveant: Nec possumus hoc loco in Transcendentibus habere definitiones exactas, *sed cogimur unum terminum per alium explicare, juxta aliam atq; aliam terminorum habitudinem & respectum.* Sic omnia illa dicuntur entia, qvæ sunt & esse habent, ut DEUS, Creaturæ, Angeli, cœli, stellæ, elementa, plantæ, animalia &c. item accidentia, ut qvantitas, qvalitas, motus, actiones, passiones, &c.

Argutulus Mendoza sic finit:

Ens

Ens est, quod non repugnat esse. Unde alii disputant:

Ens est, quod potest esse in rerum naturâ. Item, quod non habet prædicata se invicem destruentia seu contradictionem involventia. Quas argutias otiosis Speculatoribus relinquimus.

EXEGESIS.

Vox Entis. Vox Entis dicitur variè & ambiguè, ut Aristoteles *lib. 3. Metaph. cap. 2. lib. 7. Metaph. cap. 1. lib. 1. de Animâ cap. 5.* &c. itemque *Plato in Sophistâ* prolixè exponunt. Sumitur 1. *latissimè in modo prædicandi* pro omni eo, quod verè enunciatur esse, ut cœcitas est. Solet enim prædicatio fieri per actum essendi, v. g. per verbum EST, vel SUNT. Sic dico, cœcitas est in oculo: Tenebræ sunt in aëre. Sic privationes, negationes & entia rationis appellantur Entia. Vocatur *esse veritatis in propositione.* Quod de se non est verum & positivum esse, sed saltem objectivum in intellectu componente, ut si dicatur, homo est cœcus. 2. *Strictissimè pro Ente summo & incorruptibili.* Sic Augustin. ait, *id verè est, quod incommutabiliter manet*, item *Deus solus, qui æternus est, essentiæ nomen verè habet. Videatur*

1. *Latissimè.*

2. *Strictissimè.*

S. Au-

S. Augustin. lib. 8. de civitate Dei cap. XI. & " *ejus Interpres ibid. pag. 485. & seqq.* 3. Sumitur *pro re existente.* Sic res dicitur id, qvod existit. Sic motus dicitur actus Entis. " Qvod ens vocatur *participiale*: qvia est participium à verbo Sum, ut ab existo est existens. *4. Propriè & Metaphysicè pro ipsa essentia reali & positivâ.* Sic entitas dicitur, " ut humanitas est Ens. " 3. *Pro re existente.* 4. *Propriè.*

9. Entitas solet nonnunqvam latissimè accipi pro diminutissimâ essendi ratione: Undè modus entis dici solet entitas quædam. Sed communiter sumitur pro ipsa rei essentia. *Entitas.*

10. *Res dicitur essentia, quæ habet esse ratum firmumq;.* Scil. vox *Res* derivatur à participio verbi *reor*, hoc est, *ratus, a, um*: Hinc à re est reale, quod non est fictum à ratione. Aliis res derivatur *à reor, reris*, ut sit entitas quævis opinabilis. Hoc autem loco res coincidit cum ente. Rectè ait *Durandus dist. 34. q. 1.* Res & ens sunt nomina penitus Synonyma. *Res.*

11. *Aliquid est ens, quod habet aliquam quidditatem.* Sic omne, qvod est, aliquid est. Aliàs aliquid dicitur, quasi aliud quid. *Aliquid.*

12. *Natura est essentia eorum, quæ princi-* *Natura.*

pium

pium motûs in seipsis habent, quatenus aliæ sunt. Arist. lib. 4. Metaph. cap. 4. item:

Natura dicitur idipsum, quod potest operari & influere in aliquid. Scil. essentia rei vocatur *Natura*, quatenus ordinatur ad operationes, mutationes, actiones, passiones, seu quatenus sumitur in ordine & respectu ad operandum. *Aristot. lib. 4. Metaph. cap. 4.* Sic essentia hominis dicitur Natura, quia efficax est in operando. Sic materia est natura, quia influit in esse materiati, aut quatenus in se sustentat accidentia.

EXEGESIS.

„ Hinc in Physicis definitur *Natura*, „ quòd sit *primum principium motûs ac quietis*, seu prima causa affectionum, mutationum, operationum & passionum, quæ „ per se fiunt in aliquo corpore. *Arist. lib. 2. „ Phys. cap. 1.*

Vox naturæ est ambigua. Sed & vox *Naturæ* est ambigua. Nam sæpè sumitur *pro cujusvis rei quidditate*, seu pro essentia rei absoluta. Sic dicitur „ natura Angelorum, hominis, equi &c. „ 2. *Pro ultimâ rei differentiâ.* Sic Humani„ tas est natura hominis. Sic dicitur, alia „ est natura hominis, alia auri, alia ar„ genti. 3. In Physicis sæpè sumitur *pro „ temperamento.* Sic aliquis dicitur habere bo-

bonam naturam, hoc est, temperamentum bonum. Sic Medicus dicitur minister naturæ. 4. *Pro nativitate* & pro eo, quod inest à nativitate aut connascitur. Sic *Eph. 2.* dicimur filii iræ à natura, id est, à nativitate. Est enim natura quasi nascitura. Vide *Svaretz. tom. 1. disp. Metaph. disp. 15 sect. 11. n. 5. p. 352.* De reliquis naturæ significationibus dicetur infrà in doctrina de Naturali. Sed in Metaphysicis Natura nihil aliud est, quàm essentia in ordine & respectu ad operandum sumta.

Præcepta.

13. *Forma dicitur, per quod res est id, quod est.* Sic humanitas est forma hominis, quia per humanitatem homo est homo. Ut aliàs in Physicis forma rei est, qvâ aliquid in esse proprio constituitur, ut anima est formà animati: ita etiam hoc loco essentia dicitur forma, qvatenus per essentiam suam aliqvid est id, qvod est. Vocatur *Forma totius:* qvia est tota rei essentia. Plura suo loco de Formis. *Forma.*

14. *Quidditas est essentia rei, qvatenus illa definitur, quid sit.* Vocatur ita in ordine ad locutiones nostras, quia essentia est id, per qvod respondemus ad quæstio- *Quidditas.*

Essentia cur dicatur Definitio?

stionem, quid res sit. Eodem modo *essentia appellatur Definitio rei*, quia est id, quod per definitionem declaratur. Sic essentia dicitur, *quod primò concipitur in aliqua re*, hoc est, quod concipimus primò convenire alicui, ut esse primum. Vocatur etiam λόγος, ratio propria, λόγος τῆς οὐσίας, ratio essentiæ, hoc est, definitio seu quidditas. Item appellatur momentum primum, primus rei conceptus, seu primum illud, quod in reipsa primò concipitur.

Essentia & quidditas.

Aliàs distingvunt nonnulli inter essentiam & quidditatem, hoc modô: *Essentia est totum esse rei, sed quidditas est ultima realitas, secundùm quam aliquid constituitur in propria specie.* Sic in Physicis forma specifica dicitur quidditas corporis, non autem est tota ejus essentia.

Terminus.

15. Denique essentia vocatur *Terminus* respectu nostræ cognitionis, qvam ultimò terminat. *Aristot. lib. 4. Metaph. c. 17.* Etenim cognitio nostra incipit ab accidentibus, & terminatur ad ipsam essentiam. Tot ergò vocabulis appellatur una eademque rei essentia.

De

De Cognatis Entis.

16. Huc pertinent *cognata Entis*, nempe termini, qvi è ratione essendi oriuntur, ut sunt, *reale, essentiale, naturale, formale*, formalis ratio, & de formali. *Cognata Entis.*

17. *Reale dicitur, qvod reverà in ipsis rebus datur, sive sit ens propriè dictum, sive modus entis.* Sic omne id dicitur reale, qvod non est fictum, neq; saltem est apparens qvid, sed extra operationem aut conceptionem mentis esse suum habet. Sic tenebræ dicuntur reales, & omnia positiva entia, ut infrà constabit de Ente reali. Hinc ὄντως & realiter inesse dicitur, qvod ἀληθῶς est, & non fingitur. *Reale.*

18. Unde est *Realitas*, qvam Scotistæ distingvunt à Re. *Realitas.*

Res enim est id, qvod per se aut in se existit, aut qvod habet essentiam aliqvam realem plenam, & non sit pars rei, aut modus Entis.

Realitas autem est aliqvid minus ipsâ re. Scil. Realitas est *diminuta Entitas, & ratio conceptibilis in Ente*, ut sunt modi entis, & attributa ejus, veritas, bonitas &c. Aliàs vocantur *formalitates*.

19. *Essentiale dicitur, qvod ad essentiam rei spectat.* Estq; vel constitutivum, vel consecutivum. *Essentiale.*

Constituens. 20. *Essentiale constituens est pars essentialis, vel principium intrinsecum, quô essentialiter aliquod Ens constituitur.* Sic in corporibus materia & forma sunt essentialia constitutiva. Sic anima est essentiale constitutivum hominis, qvia constituit essentiam hominis.

Consequens. 21. *Essentiale consequens dicitur, qvod ex essentia rei per se fluit, illamq; semper concomitatur,* uti sunt omnia propria accidentia. Sic hominis essentiale consequens est risibilitas, docilitas.

Reale & Essentiale differunt. 23. *Differunt ergò Reale & Essentiale.* Licèt enim Res & Essentia coincidant, non tamen ita eorum derivata. Multa profectò dicuntur esse realiter, aut inesse realiter, v. gr. *nubes in aëre, iris in nubibus, fervor in aqva fervida, ignis in ferro candente*; qvæ tamen ibi non sunt essentialiter. In Ecclesia rectè credimus, qvòd sit Realis unio duarum naturarum in Christo, verùm ea neqvaqvam est essentialis unio, sed personalis. Sic albedo realiter inest parieti, panno, non essentialiter: ferrum unitur cum igne realiter, non essentialiter. In Sacra Cœna dicimus esse unionem realem corporis Domini, & panis benedicti, ita ut propter illam

illam realem unionem constituant Unum Sacramentum: interim cave, dicas, qvòd ibi sit unio essentialis. Hæc enim non est, sed Sacramentalis. Patet ergò, qvòd omninò debeamus distingvere inter Reale esse, & Essentiale esse.

24. *Naturale est, qvod à natura est, & in natura.* Sic in omnibus rebus est naturalis agendi vis, *in igne vis urendi, in aqva vis humectandi &c.* Sed de Naturali ex professo agemus infrà in doctrina de Naturali & Artificiali. Hoc loco naturale idem est, qvod essentiale. *Naturale.*

25. *Formale dicitur, qvod in aliqvo habet rationem formæ, qvâ primò distingvitur ab aliis*, ut, dilatatio manûs est in palma, contractio manûs in pugno: extensio in qvanto &c. Sic ultima rei differentia solet vocari *Formale, & formalis ratio*, utpote rationalitas in homine: sic indivisio dicitur formale unius. Ut enim in corporibus forma distingvitur à materia, ita etiam in conditione essendi *formale rei* distingvi solet *à materiali*, itemq; formalis ratio distingvitur à ratione materiali. Similiter in vocibus est formale significatum, v. gr. album formaliter albedinem significat, &c. *Formale.*

Materiale. 26. *Materiale dicitur, qvod habet rationem materiæ, in qvo est formale.* Solet enim illud appellari materiale rei, v. g. materiale palmæ & pugni est manus, ſ. digiti. In claudicatione est motus. Qvod manifestò patet in vocibus concretivis, in qvibus est significatum materiale ac formale, uti notum est ex Log. Item in artefactis, mensâ, ſtatuâ, in monetis, in malis, & vitiis. Ubi materiale à formali cautè distingvatur oportet. Huc faciunt ea, qvæ in Logicis proponuntur de forma denominante ac denominativo, &c.

Materialis ratio. 27. *Materialis ratio est notio communis, qvâ id concipitur, qvod materialiter est in aliqvo:* ut ſi concipiatur ſonus in voce, digitus in pugno.

Formalis ratio. 28. *Formalis ratio est notio propria, qvâ qvidditas rei primò & ultimò concipitur, & per qvam aliqvid adæqvatè distingvitur ab aliis.* Ut indiviſio est unitatis ratio formalis, extenſio qvantitatis.

EXEGESIS.

Formaliter. Àliàs hisce terminis, *formaliter & materialiter*, variè utuntur & abutuntur.

„ *Formaliter* ſumitur 1. *pro qvidditate rei totâ*, ut ſit idem, qvod *qvidditativè*. Sic di-

„ citur, homo est formaliter animal rationale.

nale. 2. *Pro ultima rei differentia.* Sic unitas formaliter dicit indivisionem. Sic genus pertinet ad materiale, sola differentia specifica, ut ita loqvar, complet formalem rationem. 3. *Pro actualiter*, seu pro eo, qvod actu inest. Sic formaliter contradistingvitur τῷ virtualiter. Ita dico: Sol non est formaliter calidus, sed virtualiter. 4. *Pro principio agendi interno.* Sic homo formaliter est animatus, formaliter intelligit.

Præcepta.

De Conceptu Entis.

29. Huc facit Conceptus Entis, qvi duplex statuitur, Objectivus & Formalis.

30. Objectivus conceptus nihil aliud est, qvàm res ipsa, prout objicitur intellectui, & ita concipitur. *Rectiùs vocatur* Res concepta, res intellecta. *Non enim propriè est conceptus mentis, sed saltem extrinsecè per denominationem extrinsecam ita dicitur, ut res visa, audita, amata. Quando nimirum ipsa res fit objectum intellectionis & conceptionis, visionis &c. & imprimit sensui speciem sui, & veluti corpus speculo expositum in eo exprimitur, apparetq;, tum in illo actu perceptionis, apprehensionis, appellatur*

Conceptus Entis objectivus.

latur conceptus objectivus. Sed, uti dixi, commodiùs dicitur res intellecta, *item*, res concepta: Palàm id patet in sensibus. E. gr. *fornax, prout objicitur visui, dicitur objectum visûs, & ita objectivus conceptus fit, in qvantum visione apprehenditur: Item fornax, prout intellectui objicitur, & per intellectionem concipitur, dicitur objectivus conceptus intellectionis, nempe qvatenus est res concepta, visa, objectum conceptum, visum. Sic & sonus dicitur audiri, auditus.*

Conceptꝰ Formalis. 31. Conceptus Formalis est forma accidentalis in mente hærens, per qvam res ipsa extra intellectum posita cognoscitur atqve concipitur. *Illa verò forma est idea, species, imago & exemplar, sive idolum, qvod qvasi effigiat in mente ipsam rem, prout est extra intellectum, adeòq; intellectui repræsentat rem illam conceptam & cognitam.* Rursum id evidenter observare licet in sensato, seu objecto sensuum, qvod sensui speciem sui imprimit. E.gr. *qvando aspicio fornacem, tunc species sive exemplar à fornace spargitur in visum, & post modùm defertur ad intellectum, ipsiq; sistit essentiam fornacis idealiter præsentem, adeoq; repræsentat illa species fornacem in mente, prout existit fornax extra mentem. Ecce jam*

jam ista idea, sive illud exemplar, qvò cognoscitur fornax, dicitur conceptus formalis, qvia est forma qvasi, per qvam cognoscitur & concipitur fornax. Sit aliud exemplum: Intueor eqvum, qvi currum trahit, indeq; concipio, & mente meâ considero eqvum: hinc in intellectu est species vel forma, seu idea realem istum eqvum repræsentans: jam ipse eqvus trahens currum est objectivus conceptus, hoc est, ut planiùs loqvar, est res ipsa intellectui objecta, & conceptus eqvus. Verùm forma sive similitudo & imago in mentem delata ab illo eqvo, per qvam eqvus concipitur, dicitur conceptus formalis. Cape sis simile in speculo, in qvo effigiatur qvodvis objectum, prout ei exponitur, &c.

32. *Sed & hoc notabile est, qvòd* conceptus Entis in respectu ad immediatè inferiora sit analogicus. *Sic analogicè* πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς, *tribuitur ens Deo & creaturis. Creatura est ens, & Deus est ens, sed ita tamen per analogiam, ut* Deus primariò & longè alio modo sit ens, qvàm creaturæ sunt entia, Deus est Ens primum, & independenter, sed creatura secundariò Ens dicitur, & dependenter à Deo, *qvia nisi Deus Ens esset, h.e. nisi Deus revera esset, nulla creatura essentiã habere posset, qvandoqvidem*

Ens est analogum.

omnem suam Entitatem unicè habet à Deo per creationem. Sic Ens analogicè tribuitur Substantiæ & Accidenti; revera quidem & Substantia & Accidens est Ens, sed ita per analogiam, ut Substantia per se sit, adeoq; primariò Ens sit: Verùm Accidens est in Substantia, inq; illa suum esse habet, adeoq; δεύτερως dicitur Ens, dependenter à Substantiâ. De analogia Entis videatur *Theoria Transcendentalis disput. 4.* item conferantur *Institut. Log. lib. 1. tract. 1. cap. 2.*

Præcepta.
De Opposito Entis.

33. Deniqve oppositum Entis est *Non-Ens, & Nihil.* Qvæ hoc loco æqvipollenter sumuntur, utut aliàs varient. Hoc scil. loco *Nihil* vocatur, qvod est Non-Ens, id qvod contra sciolos & ineptos Metaphysicastros notes velim, & discas rectiùs.

34. Cæterùm variè accipitur *Non-Ens* 1. pro eo, qvod penitus nihil est, & absolutè opponitur Enti, ut hoc loco. 2. pro mutabili, generabili & corruptibili. 3. pro Imperfecto. *Vide Perer. lib 4. cap. 15. de Antiqv. Phil. & nostram Theor. Transcend. disp. 2. thes. 59.*

35. Si-

35. Similiter & *Nihil* itidem sumitur 1. pro eo, quod simpliciter non est. Et sic hoc loco contradistingvitur τῷ Aliquid s. Enti 2. Syncategorematicè, ut in Log. explicatur per Nullum, s. nullum ens. 3. pro vano, inani & abjecto, ut alibi exponitur fusiùs.

AXIOMATA.

1. Quicquid essentiam habet, illud est Ens. *Rectè Damasc. in Dialect. cap. 4.* τὸ ὂν κοινὸν ὄνομά ὅτι πάντων τῶν ὄντων. Ens est nomen commune omnium eorum, quæ sunt. *Scilicet quicquid extra fictionem mentis verè est, & existit in rebus: id ens appellatur, seu res, aut essentia. Est enim aliquid.*

2. Ens *per se primò* non dicit defectum, sed excellentiam, *seu perfectionem. Quia quò quid magis Ens est, eò perfectius. E contra non esse vel non Ens arguit imperfectionem. Sic quia Deus maximè Ens est, ita quidem, ut nequeat non esse, & necessariò semper fuit, semperq; erit Ens. Idcircò meritò dicitur Ens perfectissimum & excellentissimum. Sed quia homo esse quidem habet, sed tamen vel per mortem privari τῷ esse, vel etiam nonnunquam deficere potest: idcircò imperfectum Ens dicitur in respectu ad Deum, qui solus immutabiliter Ens est.*

3. Uniuscujusque Entis una est Essentia, *item*, unius rei una est natura. Videlicet in eodem essendi modo, & in eadem unitatis ratione: utpote unum in specie, sive unum per se, aut Ens unum in essentia, habet quoq; unam naturam specificam, sive per se unius essentiæ naturam. *Aliàs enim non esset essentia, sed essentiæ plures, & sic non esset Ens, sed Entia. Licet autem accidentia plura sint unius rei, illa tamen non sunt illius rei essentia, sed extranea, aut adjacentia, interim unius rei essentia manet una. Valet axioma* in identica essendi ratione ac in uno per se. In Uno accidentali aut suppositali aliter se res habet, v.g. in ferro ignito, mari salso, &c.

4. Ens est primum principium essendi internum, operandi & cognoscendi. *Quia est ipsa Essentia, ex qua tanquam ex principio intrinseco omnes proveniunt operationes propriæ, indeq; cognitionem perficit.*

5. Ens & Non-Ens important primam contradictionem. *Nam esse & non esse simul apertissima est contradictio, ut si dicatur,* hic homo vivit, & hic homo non vivit:

vit: *scil. eodem modo & respectu, quemadmodum aliàs opposita requirunt.*

6. Impossibile est, idem simul esse, & non esse. E. dictis. *Et hoc primò primum principium appellitare solent Metaph. Aliàs ita refertur* : Quodlibet est aut non est. *Item*: Non contingit, idem simul esse & non esse. *Item in Logicis*, de unaquaque re vera est affirmatio vel negatio.

7. Essentia omnis propriam & essentialem habet operationem, quâ nunquam destituitur. *Hoc scilicet docent trita illa dicta Philosophorum* : Quodlibet in quantum est, operatur, item, quod desinit ab operatione, desinit ab esse. Scilicet in quantum est, & in proportione essendi. Quare πρώτως de substantiis & entitativis accidentibus, secundariò de aliis, vel etiam de activitate quavis nonnunquam intelliguntur.

CAPUT

Caput II.

De varietate essendi, seu de communibus Entis Distinctionibus.

HÆc de ratione essendi, seu de τῷ esse rei: sequuntur *Entis distinctiones, & varii modi essendi*, quibus aliquid dicitur esse.

2. Primò Ens distingvitur in Complexum & Incomplexum, *Arist. lib. categ. c. 2.*

Incomplexum. 3. Ens Incomplexum est, quod sine complexione & absque concretione unum quid simplex significat. *Et sic omnis terminus simplex est Ens incomplexum, utpote Homo, DEUS, Angelus, Ignis, animal, corpus, albedo.* Vocatur terminus Simplex.

Complexum. 4. Complexum Ens dicitur, quod ex pluribus & ad minimum ex duobus constat conceptibus vel terminis: *utpote paries albus, ignis calidus, homo bipes. Sic & omnis Enunciatio, & omnis Syllogismus est Complexum quoddam.*

5. *Notandum verò, quòd* Complexio, ut & Incomplexio, *contingat tripliciter*, I. Incomplexum est voce tantùm: *nempe quan-*

quando una est vox, licèt illa plures involvat res. E. g. *si dicitur*, sedent, scribunt, lego, curro, coloratum, quantum. *Ibi incomplexio est quoad vocem, propterea quia una habetur vox: interim est* complexio quoad rem, *cùm quavis voce plura significentur Entia. Sic vox* SEDENT, *ut quidem una est, significat tamen duo,* 1. Sessionem sive actum sedendi, 2. personas, *quibus tribuitur sessio. Similiter quando dicitur* CURRO, *ibi illa una vox significat* 1. actum currendi, 2. personam primam, *cui jam cursus dicitur convenire.*

II. Incomplexum est re tantùm: *nempe quando una res significatur, licèt plura ponantur vocabula. E.g.* animal rationale: Redemptor generis humani: Locus sacris concionibus destinatus: Habitus instrumentalis indagandi veritatem: *ibi* incomplexa sunt RE tantùm, *quia ubique una saltem res simplex significatur, utpote,* Homo, Christus, Templum, Logica. *Interim Complexio est quoad vocem tantùm, cùm ubique habeantur plures voces.*

III. *Denique Complexio & Incomplexio contingit* voce & re simul, *qualis complexio spectatur in integris enunciationibus, utpote si dicatur*: Homo est animal: Corpus est

est quantum, &c. *Incomplexio verò talis, re & voce simul, semper est terminus simplex, unam rem simplicem significans, ut Deus, homo, animal, linea, virtus &c.*

Præcepta

De Ente Reali, & Rationis.

6. Deinde Ens incomplexum vel est Rationis vel Reale.

Ens Rationis.

7. Ens Rationis est, quod saltem ut Ens cogitatur, & fingitur per operationem rationis. *Sic Entia rationis sunt, partim figmenta illa, Chimæra, Cerberus, Mons aureus, Equus instar montis: Partim notiones secundæ & technica vocabula, qualia sunt vel in Grammaticis, ut Casus, Declinatio, &c. vel in Rhetoricis, ut Tropus, Schema, Metaphora; vel in Logicis, ut Genus, Species, Syllogismus: Partim denique privationes & negationes, prout scilicet concipiuntur, quasi sint Entia, ut si cœcitas concipiatur, ac si esset aliquid in oculo, cùm tamen potiùs sit defectus in oculo, & tollat aliquid ex oculo.*

Nota: Ens rationis sumitur, (1.) *Intransitivè* pro ipsa ratione, sicuti essentia albedinis est ipsa albedo, doctrina Physices est ipsa Physica. (2.) *Subjectivè*, quod est in ratione, s. animo, & intellectu, ceu accidens in subjecto. Sic omnes

no-

notitiæ habituales & actuales sunt in ratione. (3.) *Effectivè*, pro eo, quod efficitur per rationem, ut opus ejus. Sic artefacta dicuntur Entia rationis, ut picturæ, sculpturæ, scripturæ, &c. Sed hæc omnia vera Entia realia sunt, uti mox patebit. Denique (4.) Ens rationis dicitur *in oppositione contra Ens reale*, idque tale est, quod revera non est extra operationem & cogitationem mentis. Et ita hoc loco accipitur.

8. Dicitur ergò Ens Rationis, quia unicè à ratione accipit suum esse, prout ratio fingit, concipit, cogitat illud esse Ens, quod tamen extra fictionem rationis planè revera non est ens.

9. Ens Reale dicitur, quod revera est aliquid, etiam nobis non cogitantibus aut intelligentibus. *Et hoc Ens reale partim existit in mundo, & in natura extra intellectum, qualia Entia realia sunt verè infinita, ut Deus, omnes Angeli, omnes substantiæ, corpora, stellæ, Elementa, item accidentia prædicamentalia, qualitates, omnes quantitates, actiones, passiones: partim existunt in intellectu subjectivè, non tamen fiunt ab* intellectu totaliter. *Talia Realia Entia sunt omnes scientiæ, & omnes habitus mentis,* *Ens Reale.*

tis, ut Physica, Geometria, Astronomia, Metaphysica, Logica. Uno verbo dicam: Qvicqvid propriè & reverà est in aliqvo prædicamento, vel Substantiæ vel Accidentium, id omne est Ens reale: *Item*, omnis conceptus transcendens & Metaphysicus est reale qvid, ut & omnis res divina.

10. Solent etiam realia dici omnia illa, qvæ non finguntur, adeoqve extra omnem cogitationem mentis aliqvo modo sunt. Sic privationes dicuntur reales, *utpote Cœcitas, Surditas, Ignorantia, Peccatum, reverà sunt in cœco, surdo, ignaro, vitioso, non qvidem qvasi Entia sint vera, sed qvia extra omnem mentis operationem existunt, tanqvam defectus Entium realium.*

11. Dicuntur realia attributa, non qvasi ponant aliqvid in rebus, sed qvia removent aliqvid à rebus.

Nota: Tripliciter dicitur aliqvid esse in intellectu, (1.) *Subjectivè*, ut accidens in subjecto. Sic habitus, scientiæ, artes, itemqve actus seu actiones mentis sunt in intellectu. (2.) *Effectivè*, ut effectus in causa, v. g. arte facta in intellectu artificis, domus in mente architecti, literæ in ani-

animo scribentis, qvæ locutio impropria est. (3.) *Objectivè*, ut objectum ejus, qvod ab intellectu apprehenditur, concipitur, actu cognoscitur. Sic omnes res conceptæ dicuntur esse in intellectu, qvando nempe, ac prout objiciuntur menti, & ab ea considerantur, expenduntur. Hæc verò *vel in se sunt*, & esse habent etiam extra cogitationem, sicqve sunt Entia realia; vel *tantùm in intellectu habent suum esse objectivum*, sicq; sunt Entia rationis. Et hæc dicuntur esse in intellectu. (4) *Objectivè consequenter*, qvæ ad operationem mentis seqvuntur, & rei cognitæ imprimuntur, ut notiones secundæ, Entia secundæ intentionis, v. gr. *Genus*, *Species*, *Subjectum*, *Prædicatum &c.* Hæc sunt objectivè tantùm in animo, & extra hoc, qvod cognoscuntur, non sunt.

De Ente per se & per accidens.

12. Porrò Ens Reale est vel per se, vel per accidens. *Aristot. l. 4. Metaphys. cap. 7. Illud variè dicitur ob ambiguitatem termini per se.*

Per se. *Nam primò* Per se *sumitur in ordine causandi, & in ratione effectûs: qvomodo id per se esse dicitur*, qvod habet causam per se, *hoc est, producitur ex intentione & virtute*

Ens per se.

tute agentis, aut per se cum alio cohæret. Sic filius est Ens per se à Patre suo. Sic Mundus est effectus à Deo per se productus. Sic ignis per se calefacit: & omnia essentialia dicuntur per se esse. Econtrà casualia & fortuita dicuntur esse per accidens.

Deinde Terminus per se *accipitur sub ratione Entis*, pro eo, qvod est Unicum & Solitarium. *Sic Deus est Ens per se, qvia præter Deum non est alius. Item*, homo solitarius dicitur per se vivere, & qvod sine alio fit, per se fieri dicitur.

Tertiò per se esse dicitur, qvod vi suæ naturæ non est ab alio, *qvomodo iterum solus Deus per se est & à se.*

Qvartò per se dicitur in ratione prædicandi, qvod prædicatur per se in primo vel secundo modo, ut exponitur in Logicis. *Vid. Manual. part. Special. lib. 1. de demonstr. c. 2.*

Qvintò Ens per se dicitur, *ad modum essendi, qvod per se subsistit, sicq; præcisè habet ea, qvæ ad naturam & integritatem pertinent, qvod communiter opponitur accidenti. Sic omnis & sola substantia dicitur Ens per se, Cœlum, Stella, Ignis, &c.*

Denicq; Ens per se est illud, qvod significat certam certæ Categoriæ speciem.

Ut

Ut homo, lapis, qvantitas, qvalitas, item omne ens in se & suâ naturâ essentialiter sumtum. Summatim, omne abstractum, omnis conceptus simplex, sive sit transcendens sive divinus, dicitur Ens per se. Et hæc acceptio Entis per se qvàm maximè est hujus loci.

Rectiùs ita definitur:

Ens per se est, qvod ipsum esse significat, adeoq; in essentia sive natura sine extraneis purum ac simplex qvid est, & verè unicum. Arist. lib. 4. Metaph. cap. 7. ut Deus, Angelus, Stella, Ignis, &c. It: in Accidentibus, longitudo, linea, calor, color, &c.

Hinc notare solet certam speciem, ut albedo, linea, scientia, &c.

13. *Ens per accidens est, qvod præter suam essentiam in se habet aliqvid extranei, qvod ad naturam rei non pertinet, ut subjectum cum accidente, v. gr. homo cum doctrina, sive homo doctus, corpus album, nigrum, calidum.*

Imprimis illud dicitur per accidens esse, qvod est concretum, & accidentaliter ex pluribus rebus compositum: *Ut qvando accidens componitur cum subjecto,* ut Musicus homo, magnum corpus, albus paries: *vel qvando subjectum cum Accidente,* ut homo doctus, aër frigidus, *vel*

qvando Accidens cum accidente in uno concurrit, ut Princeps doctus, sutor bonus, Theologus Philosophus, &c. *semper fiunt Entia per accidens, hoc est, ex diversis accidentaliter conjunctis fit unum Ens.*

14. Similiter Ens per accidens faciunt ea, qvæ per *aggregationem* cumulantur. *Uti fit in acervo tritici vel lapidis.*

Huc etiam referri possunt illa suppositа, qvæ constant ex diversis substantiis, diversas naturas & species distinctas constituentibus, ut qvando ferrum & ignis in uno supposito concurrunt, ibi ferrum ignitum est Ens per accidens Substantiale. Sic sal aqvæ commistum, poculum deauratum &c. faciunt unum Ens per accidens.

Dehinc Ens per accidens dicitur, qvod habet causam per accidens: *qvomodo omnis effectus casualis & fortuitus dicitur Ens per accidens: Sic inventio thesauri, acceptio pecuniæ, fractio sive læsio pedum dicuntur Entia per accidens, qvando fortuitò & præter omnem expectationem contingunt.*

Tertiò Ens per accidens sumitur pro ipso accidente, qvod opponitur Substantiæ. *Sic omnis qvantitas, qvalitas, relatio, actio, passio, &c.* sunt entia per accidens,

cidens. Sed hæc acceptio est impropria.

EXEGESIS.

Notetur ergò 1. *Ens per se est ipsa essentia, seu ratio & natura rei interna.* Nihil enim magis potest per se esse, qvàm sibi ipsi est essentia propria. Qvod esse per se meritò dicitur primum. Appellatur primus modus essendi per se. Unde pendet primus modus prædicandi per se, uti notum est ex Logicis. *Sic per se dicitur, qvod est de qvidditate & definitione rei*, ut Genus, Differentia vel Species, v.g. homo animal, homo rationalis. In Logicis dicitur in primo modo per se. 2. *Per se est, qvod ob internam rei essentiam inest, qvodq; ita convenit rei, ut ipsi debeatur, qvia tale Ens est.* Sic terminus per se notat illa attributa, qvæ rei conveniunt, semotis omnibus extrinsecis. De qvo in Logicis agitur: qvando propria κατ' ἐξοχὴν dicuntur in *secundo modo* per se. Plura videantur ibid. in doctrina demonstrationis. Nempe ut est modus essendi per se, ita etiam sit modus prædicandi per se, cùm dici reqvirat inesse.

Qvid propriè sit per se esse.

Nota: Vulgò declaratur Ens per se triplici modo. (1.) *In ordine ad prædica-*

» *mentum*, ut illud per se sit, qvod directè
» est in uno tantùm prædicamento, sicq; genus vel
» species est unum per se. (2.) *in ordine ad definitiones essentiales.* Hæ enim
» dicunt, seu declarant, qvid res sit in se,
» seu in sua interna natura. (3.) *In ordine ad unitatem*, qvæ enim sunt per se unum,
» etiam Ens per se dicuntur, *uti infrà exponetur fusiùs in doctrina de Uno.*

Per accidens esse. Ut autem variè dicitur per se esse: Ita etiam per accidens esse. Hinc 1. *per accidens dicitur in ratione causæ*, uti est effe-
» ctus casualis & fortuitus. De qvo infrà in
» doctrina causarum. 2. Per accidens esse
» dicitur, *qvod in alio est tanqvam extra-*
» *neum.* Sic aqva per accidens est in vase,
» vinum in vitro, triticum in sacco. 3. Su-
» mitur *pro omni extraessentiali.* Sic per ac-
» cidens est, *qvod extra essentiam rei internam est positum.* Sic omnia Paronyma dicun-
» tur per accidens esse in substantiis. Hinc
» 4. solet id dici per accidens, *qvod inest tanqvam accidens*, ut calor in igne, lux in
» Sole. Inprimis autem 5. *per accidens est, qvod planè extrinsecus accedit, & ita muta-*
» *biliter & contingenter inest vel adest:* ut ho-
» mo per accidens est ægrotus, aut ebrius, aut civis, aut Musicus.

De-

Deniq; per accidens dicitur *in ratione praedicandi*, qvod prædicatur per accidens de alio, ut accidentia de subſtantiis, *v.g. frigus de aëre, calor de aqva, &c.*

Hinc fiunt *Entia per accidens, qvando res plures realiter diverſæ accidentaliter conjunguntur, ſive per concretionem, ſive per aggregationem, ſive per aliam unionem extra-eſſentialem*, ut ſunt homo Muſicus, Princeps doctus, acervus lapidum, ferrum ignitum, poculum aureum. *Entia per accidens.*

Præcepta

De Ente poſitivo & privativo.

15. Deniqve Ens reale eſt Poſitivum vel Privativum.

Ens poſitivum eſt, qvod ponit veram entitatem in rerum natura. Vocatur Poſitivum *à ponendo*, qvia reale Ens eſt ponendo aliqvid in rebus, adeoq; in certo eſſendi actu eſt poſitum, ut cœlum, terra, calor, frigus, &c. *Qvocirca poſitivum eſt eſſentia vera, ſeu qvod eſſentiam & bonitatem debitam habet.* Ut homo, Angelus, Corpus, Virtus, Color, Actio, Viſus, &c. *Ens poſitivum.*

16. *Privativum Ens eſt negatio habitûs in ſubjecto capaci.* Ut cœcitas, claudicatio, morbus, mors. Item Ens privativum eſt *defectus ſeu abſentia rei poſitivæ in* *Privativum Ens.*

subjecto habili. Aristot. lib. 4. Metaph. cap. 22. Vocatur Privatio, στέρησις. Dicitur *Negatio habitûs*, hoc est, rei habitæ. Non enim est nuda absentia, sed sublatio illius rei, qvæ habita fuit, vel haberi debet. Additur, qvòd sit defectus *in subjecto capaci*. Reqviritur enim ad privationem, ut subjectum sit habile ad illam formam recipiendam, qvæ tollitur per privationem. Sic cœcitas est in oculo, non in lapide, claudicatio est in pedibus, non in capite.

Privatio & Negatio differunt.

17. Differt ergò Privatio à Negatione. *Negatio est absentia qvævis cujusvis rei*, non determinata ad certum subjectum, ut *non-Ens, & Nihil negativum*. V. g. non videt, lapis non vivit. Ibi est negatio vitæ, non privatio. Sed *Privatio est negatio rei certæ in subjecto certo determinata*: scilicet est defectus rei seu formæ debitæ inesse, & qvidem in subjecto idoneo & apto ad illam rem habendam. Vocatur *Nihil privativum*.

18. Vox Privationis sumitur vel latè vel strictè.

Privatio latè dicta est *absentia alicujus* boni inesse soliti, sine ulla *læsione* subjecti. Sic tenebræ dicuntur privatio luminis,

sub-

sublatio serti in virgine, denudatio capitis in viro dicuntur Privatio. Sed abusivè & impropriè ita loqvimur, cùm ibi nullo bono debito privetur subjectum.

Privatio strictè sic dicta est absentia boni debiti inesse cum læsione subjecti. Et hæc est propria privatio: qvæ non est nuda absentia alicujus rei, sed *negatio illius boni, qvod debeat inesse*, qvodq; pertinet ad perfectionem subjecti. Qvam perfectionem qvia tollit hæc privatio, ideò statim læditur, deformatur, & corrumpitur subjectum, ipsiqve aliqvod malum infertur. *Talis privatio est morbus, putredo, mors, itemq; peccatum originale. Hoc enim non modò negat & tollit justitiam originalem, omnesq; innocentiæ perfectiones, qvæ in Adamo erant ante lapsum, sed insuper hominem depravat, corrumpit, destruit. Non ergò peccatum est nuda privatio, ut volunt Jesuitæ, sed privatio cum maxima corruptione: non nuda ablatio imaginis divinæ, sed conturbatio, & destructio, & confusio ordinis divini, ut eruditè docet* Chemnitius in Loc. Theol. *Sic porrò omnia peccata actualia, ut homicidium, adulterium, scortationes, ebriositas, avaritia. Item febris & morbus lethalis, ignorantia, pestis, sunt privationes*

Privatio impropria.

nes propriè sit dicta, quæ maximam pravitatem inducunt.

19. Propria Privatio est vel Primaria vel Secundaria.

Primaria privatio. *Primaria Privatio est destructio boni naturalis, & absentia perfectionis internæ, quæ subjecti corruptionem infert.* Ut morbus, cœcitas, ignorantia. Vocatur *Privatio rei naturalis.*

20. Est autem vel Totalis vel Partialis. *Totalis privatio est omnimoda rei corruptio, quâ simpliciter tollitur id, quod naturaliter adesse debebat*: ut Mors, morbus lethalis, decollatio. Aliàs vocatur *privatio potentiæ*, à quâ ad habitum ordinariè non datur regressus. Ut à morte ad vitam naturaliter non fit reditus.

Partialis privatio. 21. *Privatio partialis est, quâ secundùm quid tollitur habitus:* ut Vulneratio, Ebrietas. Vocatur *Diminutio.* Sic luscus dicitur privatus visu. Item vocatur *Privatio actus*, & est, *à quâ ad habitum facilis est regressus.* Sic somnus dicitur privatio.

Secundaria privatio. 22. *Privatio secundaria est absentia rei extrinsecus adhærentis, quâ id tollitur, quod extrinsecus rem perficere solet.* Ut Paupertas, Nuditas, Viduatus.

Logica. 23. Deniq; privatio dicitur vel Logica vel Physica. *Pri-*

Privatio Logica est absentia formæ, quæ jam fuit vel esse debuit in certo subjecto: ut Cœcitas, Morbus, Mors. Quæ propriè dicta privatio est, unde privativè oppositæ sunt in postprædicamentis: *Visus & cœcitas, vita & mors.*

Physicæ.

24. *Privatio Physica dicitur absentia formæ generandæ*, ut in ovo sit privatio pulli, qui ex ovo generari potest. *Quam ego Physicis disceptandam & discutiendam relinquo.* Certè genuinum principium Phys. non est, nec distinctum à materiâ. Sed si quid est, conditio materiæ est. *Videatur Manuale Physicum.*

PORISMATA.

1. *Res antequam existit, nihil est. Thomas in quæst. de Potent. Dei. quæst. 3. art. 3. conf. Svaretz tom. 2. disp. Metaph. pag. 150.* Scilicet in se nihil est, h. e. essentiam realem in se prorsus non habet. Aliàs enim esset, antequam esset, quod absurdum. Quod autem non existit, neque est, cùm esse nihil aliud sit, quàm existere.

2. *Ubi aliquid dicitur esse, ibi tale esse intelligitur, quod subjecto convenire potest.* Debet enim τὸ *Est* explicari ad proportionem subjecti sui. Juxta regulam Logicorum: *Talia sunt prædicata, qualia permittuntur esse à suis subjectis.*

3. *Non*

3. *Non omne complexum est concretum*: Hoc enim semper fit ex diversitate rerum: Sed complexum etiam est inter eadem, ut homo animal, albedo color, utpote in essentialibus prædicatis, v. g. homo est animal. Item, complexio fit per negationem aut remotionem terminorum ab invicem, ut homo non est lapis; ubi certè concretio nulla est.

4. *Abstractum quod est in essentiâ suâ, non admittit abstractionem realem.* Ratio est in promptu: quia essentia est indivisibilis, adeoq; inabstrahibilis. Si enim aliquid detrahas de essentiâ, non manebit essentia rei, sed destruitur. Hinc dico: *qui essentiam rei abstrahit, rem destruit.* At hoc non est Philosophi. Igitur cautè agamus in abstrahendis terminis. Deinde observes, quòd *abstractio sit vel rei, vel vocum*: Illa *realis* dicitur, quæ non est nisi concretorum. *Abstractio vocum* est in solis vocibus, ut color, coloreitas. Quales abstractiones vulgò finguntur. Sed absint terminorum lusus, & vocum abusus. Interim attendes, an in re ipsâ fiat abstractio, nec ne? Hoc enim in rei essentiâ fieri nec potest nec debet.

5. *Abstractum ponitur pro ipsa rei essentia,*

tia, sed concretum unà involvit subjectum. Hinc rectè Chemnitius in libr. de Nat. Chr. cap. 1. *Abstracta vocabula supponunt pro naturis, concreta pro personis.* Unde etiam concreta significant per modum adjecti, seu adjectivè, sed abstracta simpliciter.

6. *Reale est, quod esse aliquod habet in rerum natura.* Et contra: *quod non habet esse in natura, reale non est.* Hinc fiunt Entia rationis puræ, quæ unicè sunt à ratione & in ratione: scilicet tantùm habent esse cognitum, & esse objectivum in animâ. Hinc rectè ait *Nicol. de Orbell. lib. 4. Metaph.* Entis rationis esse est sub concipi. Nec enim habet aliquod esse, nisi concipi & intelligi, ut patet in figmentis.

7. *Quod per se est, per se est intelligibile.* Aristot. 2. Metaph. cap. 11.

8. *Quæ per accidens sunt, sub scientiam non cadunt.*

9. *Cui denegatur habitus, illi nec privatio convenire potest.*

10. *A privatione ad habitum non datur regressus*: scilicet naturaliter à totali, ut à morte ad vitam.

LIBER

LIBER II.

De Proprietatibus Entis, & Attributis rerum communibus.

CAPUT I.

De Uno & Unione.

Proprietates Entis. FUit ratio essendi, sequuntur *Proprietates* Entis, & attributa communia, quæ omnibus rebus insunt, & vocantur *Affectiones Entis*, πρόποι ὄντων, modi, passiones, adjuncta Entis, itemque communissimæ rerum denominationes.

2. Sunt autem attributa Primaria vel Secundaria. *Illa* πρώτως conveniunt omni Enti, uti sunt affectiones Entis essentiales, partim Unitæ, partim Disjunctæ.

3. *Unitæ Entis affectiones sunt, quæ simpliciter & solitariè insunt omni Enti, cumq; eo reciprocantur in sensu unito*, quales sunt hæ tres: UNITAS, VERITAS, BONITAS. Scilicet omne, quod esse habet, unum quid est, verum est, bonum est. Et contrà: quicquid unum est, aut verum aut bonum, illud ens est. *Videatur Plato in Parmenide, & Patritius in discuss. Perip. tom. 2. lib. 2.*

lib. 2. Hinc vocantur simplices affectiones Entis, esse Unum, Verum, Bonum.

4. Unitas est indivisio Entis, quâ aliquid in se indivisum est. Item

Unum est, quod in se indivisum est, & divisum à quolibet alio. Aristot. lib. 4. Metaph. cap. 6. item lib. 10. Metaphys. cap. 1. & c. videatur Scalig. Exerc. 65. sect. 2. & 8.

Nota: Indivisum in se est, quod *in suâ essentiâ* non est divisum. V. g. Homo unus in se ac suis partibus essentialibus, animâ & corpore, indivisus est: quando autem per mortem dividitur, ut anima separetur à corpore, tum tollitur unitas & perit homo. Sic omne Ens simplex in se unum est. DEUS est unus, quia habet indivisam essentiam, & non est divisus in suâ essentiâ. Angelus in se unus est & omne corpus, Sol, stella, &c. Sic regnum illud dicitur unum, quod non est divisum in se: Verùm quando accidit divisio, adeoque quasi distrahitur & divellitur, tum non ampliùs manet Ens unum; Sed fiunt Entia, & quidem diversa. Verbi gratiâ, quando domus dividitur in partes, ita ut tectum separetur à parietibus, & hi sejungantur à fundamento, non sanè manet domus, quia sub-

Unitas.

sublatâ unitate tollitur ipsa essentia domûs.

Ut ergò indivisio est multiplex, ita & unitas. Rectè *Aristot. lib. 4. Metaph. cap. 5.* ait: Καθόλου ὅσα μὴ ἔχει διαίρεσιν ἢ μὴ ἔχει, ταύτῃ ἓν λέγεται. Quotcunque non habent divisionem, quatenus non habent, eatenus unum dicuntur.

Præcepta.

De Uno per se & per accidens.

Unum per se.

5. Primò *Unum est per se, vel per accidens,* non secus ac suprà dictum est de Ente per se, & Ente per accidens. Ut enim Ens est, ita etiam est ejus unitas. Quod per se est, per se unum quid est: quod per accidens est, per accidens unum est, *Aristot. lib. 4. Metaph. c. 6. & 7. & c.*

Unum per accidens.

6. *Unum per accidens est, quod in se plura continet per extraessentialem conjunctionem ita unita, ut non redigantur in communem essentiam.* V. gr. exercitus, strues lignorum, crama, mistura rerum variarum, temperamentum, album. Hinc unum per accidens non significat unam Entis speciem, sed ex pluribus Entibus accidentaliter componitur. Itaque nec propriè unum est in unitate essendi, sed mul-

multorum collectio. *Videatur Arist. d. l. lib.*10. *Metaph. cap.*1.

7. Qvod unum cernitur: 1. *In unitate loci*, per collectionem aut aggregationem multorum, qva aggregantur plura in unum locum, ut acervus frumenti. 2. *In unitate ordinis*, per qvam plura ordinantur ad unum qvoddam: ut exercitus militum, Respublica, mundus. 3. *In unitate subjecti*, per qvam plura uniuntur in uno subjecto. Ut flavum, album, dulce in uno pomo. Sic Philosophia & Theologia in uno homine faciunt unum Philosophum Theologum. Sic omnia concreta sunt unum per accidens. Qvò pertinet *unitas suppositi*, per qvam plures naturæ accidentaliter uniuntur in uno supposito: Ut aurum & argentum in uno poculo. Sic ferrum ignitum est unum unitate suppositi, aqva salsa, vinum dilutum, fæcatum, cibus jurulentus. Observes tamen, qvòd sint gradus unitatis. Qvædam enim propiùs accedunt ad unum per se: Qvædam longiùs inde abeunt, prout unio diversa est. Minima unitas est in uno per aggregationem, major in reliqvis. Aliàs per accidens conjunguntur plura, vel insitione, *per na-*

Unitas loci & aggregationis.

Unitas ordinis.

Unitas subjecti & suppositi.

mos diversarum specierum insitos, ut in plantis, arboribus, vel contactu, junctura & vinculo, ut in tabulis navium inter se junctis, vel glutine, ut partes chartæ uniuntur; vel sutura, qva calceus conficitur. Videatur *Subtilis. Duns in 1. sent. distinct. 2.* Qvale unum sit arbor, cui ramus alterius speciei (unius) est insitus, dispiciant Eruditi. *Vid. Svaretz. disput. 4. sect. 3.*

Unum per se.

8. *Unum per se illud dicitur, qvod habet talem formam, qva est Ens per se, ut Scotus definit 2. distinct. 12. q. 1. & ex eo Combach. lib. Metaph. cap. 5.* Item: *Unum per se est, qvod habet unam integram essentiam sive simplicem, sive compositam,* h. e. qvod præcisè habet ea, qvæ ad essentiam, integritatem, vel complementum talis Entis in suo genere per se & intrinsecè reqviruntur: Ut arbor in suâ naturâ & partibus.

9. *Est autem unum per se, simplex vel compositum.*

Unum per se simplex.

Unum per se simplex est, qvod in se ita est indivisum, ut dividi neqveat in plura. Vocatur *indivisum indivisibile*, cùm nec actu nec potestate sit capax multitudinis. Qvalis unitas simplex primùm est in Deo. Ut enim Deus summè simplex est, ita

ita etiam *summè unus est*. Deinde est in essentia Angelorum & formis abstractis, in puris actibus, in essentia accidentium, in abstractis ultimatis. Quæ, ut dicunt simplicem essentiam: ita etiam habent unitatem simplicem. *Videat. Theor. Transcendental. de Uno.*

10. *Unum per se compositum est, quod in se actu indivisum Ens est, sed tamen dividi potest in partes, ex quibus essentialiter componitur.* Vocatur *indivisum divisibile*, ut corpus. Intelligitur autem *essentialis compositio*, per quam plures partes intrinsecùs ita uniuntur, ut faciant unam essentiam. V. g. in homine anima & corpus constituunt essentiam humanam. In mixtis corporibus Elementa essentialiter componuntur ad unum esse mixti. Datur ergò ibi unum per se, quod meritò vocatur *Unum compositionis essentialis. Hoc scil. Unum constituitur per unionem, qualis est partium essentialium in toto, item & subsistentiæ & naturæ in Supposito, ut eruditè Svaretz. disp. 4. sect. 3. n. 8.*

Unum per se compositum.

Unum compositionis essentialis.

Porrò ad unum per se compositum pertinet integrum continuum, in quo partes integrantes per veram ac naturalem continuationem uniuntur. *Sic*

qvantitas continua est in suo genere per se una, cujus partes simpliciter plures in actu non sunt, sed in potentia duntaxat, ut sæpiùs loqvitur Aristot. lib. 3. Metaph. cap. 6. & lib. 5. Metaph. c. 13. Sic ignis, seu flamma & aqva, etiamsi in qvavis magnitudine sumantur, dummodò continua sint, unum qvoddam per se sunt. *Idem judica de corporibus continuis heterogeneis, ut est arbor una, granum, & animal, aut similia integra,* qvorum partes naturalem habent conjunctionem, & per se ordinantur ad componendum aliqvod Ens, ita ut sub una forma informante consistant, indeqve communem perfectionem habeant. *Plura vide in Theoria Transcend.*

De Uno Numerali seu Individuali.

Unum numerale.

11. Dehinc unum per se est unum *Numerale*, vel *Formale*, vel *Universale*. Triplex enim est Unitas in rebus. 1. *Unitas Numerica.* 2. *Unitas formalis.* 3. *Unitas universalis.*

12. *Unum numerale dicitur unum numerô*, qvod numeratur ut unum, adeoqve *unitate numericâ determinatum est.* Sic omne individuum dicitur unum numerô: Ut Petrus, hic homo, hæc albedo,

Buce-

Bucephalus. Vocatur *unum individuale, singulare, hoc aliqvid.*

Ab aliis ita definitur: *Unum numerô est, qvod ita unum est, ut secundùm suum esse totum non possit dividi in plures entitates tales, qvale ipsum est.* Estqve unum individuum & singulare, ut *Aristot. lib. 3. Metaph. cap. 3.* ait, singulare exponimus, qvod numerô est unum, *vid. Arist. lib. 1. Top. cap. 7.*

Nos in genere dicimus, id esse *unum numerô, qvod unitate numericâ determinatum est.*

13. Unitas autem numerica est principium numeri, ut satis notum est. Observes autem, qvòd *Numerus sit duplex, transcendens, vel prædicamentalis*, & qvantitativus. Hic constat ex unitatibus qvantitativis, & causatur ex divisione continui, ut *Aristot. docet lib. 2. Phys.* Qvi numerus non est, nisi in qvantis. *Numerus.* *Qvantitativus &*

Transcendens autem numerus constituitur ex unitatibus transcendentalibus, qvi formalis est essentiarum. *Transcendens.*

14. Hinc etiam *unitas numeralis* est duplex. Sumitur enim 1. prout contradistingvitur specificæ & formali unitati. 2. pro unitate qvantitativâ. *Hæc* facit *Unitas numerica.*

unum numero qvantitativum in continuis & qvantis rebus : & tantùm est in materialibus. Sed *prior* unitas numeralis etiam est in rebus abstractis, spiritualibus, & transcendentibus : Et sic in definitione unius numerici intelligatur unitas numerica, prout opponitur unitati formali & universali.

Individualis. 15. Proinde hoc loco *Unitas Numerica nihil aliud est, qvàm unitas individualis aut singularis.* Vocatur etiam *Materialis*, qvia est in materia singulari, & entitativa. Sic ex parte rei omne Ens est unum numero, *ut eruditè docet Svarez. disput. 5. Metaph. sect. 1. num. 4.* Vocatur *numerica*, qvatenus ex ea numerus Transcendens confici potest : *Individua* verò vel *singularis* dicitur, qvatenus, ut talis est, incommunicabilis est in inferioribus multis, in qvo differt ab unitate formali & universali.

Materialis Unitas. 16. *Materialis unitas dicitur, qvæ contrahit naturam rei ad esse individuale.* Igitur consistit in indivisione tùm actuali, tùm potentiali ad plura ejusdem rei & rationis.

Præcepta

De Uno Formali.

17. *Unum*

17. *Unum Formale est, qvod habet unitatem formalem.* Hinc *unum formâ* dicuntur, qvæ habent unam eandemqve formam: Ut ignis culinaris & elementaris sunt unum in forma specificâ, licèt differant accidentibus. Vocatur etiam *unum in essentia* & qvidditate. *Unum formale.*

18. *Unitas Formalis appellatur, qvæ per se & immediatè convenit essentiæ in se sumptæ, prout præscindit ab esse individuali.* Et hæc non est simpliciter incommunicabilis, sed de se indifferens ad statum singularem vel universalem. V. gr. *Humanitas*, vel esse hominem, est unum qvid, & una essentia, qvæ dicitur una formaliter. Et humanitas per se, seu vi suæ naturæ non est singularis, qvia est divisibilis, & secundùm totum suum esse potest multiplicari in pluribus hominibus: at qvando dico: *hæc humanitas*, v. g. Socratis aut Petri, tunc fit singularis, qvia tunc illa tota ratio neqvit communicari pluribus humanitatibus: neqve etiam humanitas per se dicit communitatem ad plura, sed saltem indivisam essentiam humanitatis. Sic ergò *unitas formalis præscindit ab universali &* *Unitas formalis.*

singulari; estq; quasi intermedia. Vocatur etiam *unitas essentialis.*

Præcepta.

De Uno Universali.

Unum universale. 19. *Unum Universale est, quod unitate universali unum est,* hoc est, quod habet unam essentiam communem & multiplicabilem ad plura ejusdem nominis & rationis, ut genus & species.

Unitas universalis. *Unitas Universalis est, quæ dicit communitatem & aptitudinem naturæ, ut possit dividi in res plures, similes sub eodem nomine & ratione.* V. gr. homo, in quantum est universalis, communicari potest multis aliis hominibus, ita ut quivis totum esse hominis actu in se contineat. De Universali infrà fusiùs.

Univocum. 20. *Unum Universale est vel Univocum, vel Analogum. Illud* est, quod pluribus ex æquo est commune, & æqualiter tribuitur multis. Ut color univocè prædicatur de albedine & nigredine.

Estq; vel unum genere, vel unum specie.

Unum genere. 21. *Unum genere dicuntur, quæ sunt sub uno genere, sive proximo, sive remoto.* Vel quæ conveniunt in eodem genere, & habent oppositas differentias, *ut species.* Sic homo

homo & beſtia unum ſunt genere, nempe in animali. Sic temperantia & fortitudo ſunt unum genere, nempe virtute. Sic cœlum & elementa unum ſunt ratione corporis.

22. *Unum ſpecie ſunt, quorum eſſentia & definitio eſt una*, ſeu quæ habent eandem naturam ſpecificam. Sic omnes homines ſunt unum ſpecie. Similiter hic vel iſte eqvus dicuntur unum in eſſentiâ ſpecificâ, licet numerô ſint plura individua. *Unum ſpecie.*

23. *Unum analogum dicitur, quod non ex æquo eſt commune multis, ſed pluribus tribuitur inæqualiter ſecundùm prius & poſterius.* Sic unum dicuntur, quæ in aliquo communi habent proportionem aut ſimilitudinem. Sic ſanitas analogicè tribuitur urinæ, medicamentis, cibo, animali. Sic ſubſtantia & accidens ſunt unum inEnte, tanquam in communi conceptu analogico. Aliàs dicuntur *unum per analogiam.* *Unum Analogum.*

24. Huc pertinet *unum per æquivalentiam, quando idem manet ſecundùm totum continuum, ſed mutatur ſecundùm partes:* Ut Albis mutatur quidem quoad partes, cùm partes aquæ ſemper præterla- *Unum per æquivalentiam.*

bantur, sed qvia semper retinet eandem figuram situmqve, ideò etiam retinet idem nomen & numerum.

Præcepta

De Multo & Multorum Unione.

25. Porrò Uni opponitur Multum, & Unitati Multitudo. *Aristot. lib. 10. Metaph. cap. 5.*

Multum. 26. *Multum est, qvod actu divisum est.* Ut enim unum dicitur, qvod in se indivisum est, ita Multum dicitur, qvod in se divisum est.

Multitudo. *Multitudo est rerum divisio, per qvam Entia multiplicantur, & inter se divisa sunt.*

De Multis tria notantur. De Multis notetur 1. *Multitudo ipsa.* 2. *Unio multorum.* 3. *Ordo eorum.* Qvia enim multum dari neqvit, qvod non participet de Uno, ideò necessum est, ut sciamus, qvomodo redigantur in unum. At *Unitas* hæc *multorum* primò & adæqvatè fit per Unionem, & *formaliter consistit in Unione:* ideò scil. Unio dicitur ab Unitate, eine Vereinigung. Proinde hìc de Unione primariò agendum erit.

Multitudo varia. 27. *Multitudo est varia*, prout divisio rerum est alia atqve alia. *Multa sunt numerò*, qvæ numericè sunt divisa, ut individua

vidua diversa, Petrus, Casparus, Joannes. *Multa sunt in essentia*, qvorum definitio est alia atq; alia, ut homo, leo, eqvus, & sic consequenter, prout diversa sunt, ita multiplicantur.

28. *Unio est indivisio rerum, per qvam plura extrema conjunguntur ad unum constituendum.* Ut partes uniuntur in toto: v. gr. caput, venter, pedes in homine ad unum totum conficiendum. Rectè Chemnit. *in lib. de natur. Christi* ait: ἕνωσις seu *Unio in genere est conjunctio duarum vel plurium distinctarum rerum, ut ex illis unum qvoddam constituatur.* Sic & Athanasius *tom. 4. in tractat. de definition.* Unio est rerum inter se distinctarum communis convenientia. *Unio qvid.*

29. Vox *Unionis* latè patet. Sumitur enim 1. *pro qvavis conjunctione*, ex qva unum aliqvid fit, ut amor amicorum est voluntatum unio. 2. *Pro qvavis applicatione*, ut sedens unitur scamno per seipsum. 3. *Pro identitate perfectâ*, unde dicuntur unitivè contenta, &c. Eruditè *Svaretz. disp. 15. Metaphys. sect. 6. num. 10.* docet. Unionem accipi vel *pro actu seu actione*, qvæ dicitur *Unitio*, vel propriè magis

Unio duplex.

magis *pro statu & modo Unionis*, qualis est formalis nexus unitorum.

Realis unio.

30. Unio est vel Realis vel Verbalis. *Realis est, quâ res plures revera unum fiunt.* Estque vel essentialis, suppositalis, vel accidentalis.

Essentialis.

31. *Unio essentialis est, quâ essentialiter uniuntur plura ad unam essentiam constituendam.* Ut in homine anima & corpus uniuntur ad unam hominis essentiam constituendam. Nota: *quatenus istæ partes constituunt unum essentiale, eatenus dicuntur unitæ essentialiter.* Ita quoque materia & forma in corporibus, elementa in mixtis uniuntur. Aliàs vocatur *unio naturalis.* Huc pertinet *unio partium in toto essentiali.*

Suppositalis.

32. *Unio suppositalis est, quâ plures naturæ uniuntur ad unum suppositum*: ut ignis & ferrum in candente ferro. Sic aurum & argentum in uno poculo deaurato suppositaliter uniuntur, & constituunt unum poculum.

Unio personalis.

33. Huc pertinet *unio personalis, quâ* partes unitæ constituunt unam personam. Sic in homine unio animæ & corporis organici dicitur personalis, quatenus

tenus ea facit unam personam, à termino ad quem sic dicitur.

Aliàs, *Unio personalis est, quâ duæ naturæ ita uniuntur, ut constituant unam personam*, hoc est, Unum suppositum intelligens. Persona enim nihil aliud est, quàm intelligens suppositum, ut infrà edocebitur. Sic in Christo uniuntur duæ naturæ, humana & divina, quia unum Mediatorem, ceu Personam unam, constituunt, uti demonstrant Theologi ex *sacris, sed in Philosophiæ circo Unionem personalem notamus in homine, ut superiùs monui. De quâ eruditè monet* Dn. Chemnit. *in L. Theol. lib. de Nat. Christ.* Vocatur unio κατ' ὑπόστασιν: ut quando in homine consideratur unio animæ & corporis, non sicut ad constitutionem unius naturæ conveniunt, sed ad constituendum unum ὑφιστάμενον *pag. 38. cap. 7.*

34. *Unio accidentalis est, quâ res plures accidentaliter conjunguntur ad unum per accidens constituendum.* Sic in uno subjecto concurrunt plura accidentia, ut in pomo uniuntur flavedo, dulcedo, rotunditas, mollities. Item *accidens unitur cum subjecto suo*, ut calor cum igne: Unde fit unum calidum. Huc pertinent concreta. *Unio accidentalis.*

35. Unio

Unio Accidentalis multiplex.

35. Unio autem hæc accidentalis est multiplex. Contingit enim 1. *per confusionem & mistionem diversarum specierum*, ut qvando aqva miscetur cum vino, aut farina. Sic ex cerâ & pice per accidentalem σωχυσιν fit ungventum, ex aqva & melle fit mulsum. 2. *Per aggregationem*, in tritici & hordei cumulo. 3. *Per ἐφαπτομενον, attingentiam aut appositionem.* Ut Angelus adsistit lateri Petri, vel duo asseres compinguntur.

Unio verbalis.

36. *Unio verbalis est nuda convenientia in verbis.* Qvæ unio est impropria & metaphorica, ut fit in impropriis locutionibus, Herodes est vulpes, &c.

Unio interna.

37. Præterea Unio est vel interna vel externa. *Unio interna est, qvando intrinsecus inexistunt unita, ut intimè se permeent.* Sic partes uniuntur in toto, & accidentia in subjectis, qvibus inexistunt.

Unio externa.

38. *Unio externa est, qvâ unum alteri adjungitur forinsecus*, ut continens unitur cum contento, locus cum locato, v. gr. manus tenens baculum unitur cum baculo.

Unio externa varia.

39. *Externa unio valdè variat*, major est vel minor, immediata vel mediata, propior vel remotior, totalis vel partia-

tialis, naturalis vel artificialis, ordinaria vel extraordinaria, ut alio tempore docebimus, nunc compendii ratio non permittit, ut singula evolvantur.

Saltim notetur hac vice, Externam unionem esse vel propriam vel impropriam.

Unio Propria.

40. *Propria unio in externis unitis est, quando verè fit aliquod unum, ut unita sibi præsentia sint præsentia*, uti asseres in una mensa, tabulæ in navi. Huc pertinent ea, quæ uniuntur contactu & junctură, vel glutine, vel suturâ, vel insitione.

Impropria.

41. *Impropria Unio est, quâ quædam conjunguntur ad invicem ob aliqualem habitudinem sine reali præsentiâ.* Vocatur unio σχετικὴ, respectiva, quæ omninò metaphorica est & impropria. Estque vel socialis vel moralis.

Socialis.

42. *Socialis Unio est inter ea, quæ vinculô societatis copulantur:* qualis est *Conjugalis*, ob quam conjuges dicuntur una caro, Matth. 19. *Civilis & Politica* inter Cives Reipubl. *Ecclesiastica & Spiritualis in Ecclesia*, & Oeconomica in unâ familiâ seu domo.

Unio Moralis.

43. *Unio Moralis est unitas morum, consensio mentis & voluntatis.* Sic amici dicun-

cuntur esse unum animo, vel una anima in duobus corporibus: qvia scilicet unum volunt & idem nolunt. Sic fideles propter unitatem spiritûs & mentis in corpore mystico dicuntur esse unum, Joh. 17, 21.

Ordo. 44. *Ordo multorum est congrua multorum dispositio vel simul, vel secundùm prius & posterius collocatorum.* Qvi ordo fluit ex unione multorum. Nihil enim aliud est, qvàm relatio unitorum, qvâ unum unitum debitô modô refertur ad aliud, & per qvam unita se invicem respiciunt.

CANONES.

1. *Non Entis nullæ sunt affectiones, nullæ operationes.* Scilicet reales & propriæ, Aliàs in esse objectivo qvæ concipiuntur, per imputationem aut cognitionem habent attributa qvædam, qvæ tamen ex parte illius, qvod non existit, reales non sunt.

2. *Tales sunt affectiones, qvales à suis subjectis esse permittuntur.*

3. *Qvod non est unum, illud ne est qvidem:* qvia scil. sine unitate res neqveunt conservari.

4. *Qvæcunqve non habent divisionem, qvæ-*

qvatenus non habent, eatenus unum sunt. Aristot. lib. 4. Metaphys. cap. 6. Unitas enim consistit in indivisione. Sic unum sunt subjectô, qvæ non divisa sunt ratione subjecti: unum in qvantitate, qvæ non dividuntur in qvanto.

5. *Tantum de uno qvæqve habent, qvantum de Ente. Aristot. ibid. Item:* Ut se habet natura Entis, sic qvoqve se habet ratio unius. Qvemadmodum enim in artefactis, variatâ materiâ, dignitas formarum artificialium variat. Ita qvoqve Unitatis conditio variat ob variam Entis naturam. Sic qvia DEUS est Ens perfectissimum, ideò etiam est perfectissimo modo Unus. Et qvia essentia divina infinitum distat ab essentiis creaturarum, idcircò etiam unitas DEI in infinitum distabit ab unitate rerum naturalium. Non ergò mirum esse debet, qvòd unitas essentiæ divinæ subsistat tribus personis.

6. *Unum numerô, an singulare dicas, nihil interest.* Etenim hoc modo singulare exponimus, qvod numerô est unum. *Aristot. lib. 3. Metaphys. cap. 3. & Svaretz. disput. 4. Metaphys. sect. 9.* Non igitur omne unum numerô statim est partibile, ut id

qvidem in corporibus contingit, aut multitudini obnoxium, ut talia plura sint ejusdem naturæ, nec statim est speciei individuum. Sic Deus absolutè est unus numero, qvia solus est, & præter eum non est alius Deus.

7. *Unitas conservat res, multitudo destruit.* Sic unitas & concordia Reipubl. est sui conservativa: sed divisio semper aliqvid aufert, & imminuit usqve ad interitum.

8. *Nulla datur multitudo, qvæ non de uno participet.* Sic qvæ multa sunt partibus, unum sunt in toto: qvæ multa sunt numero, unum sunt specie, vel genere.

9. *Ubi Unio datur, ibi est unum.* Item: *Qvalis est unio, tale fit unum.* Qvippe Unio est causa unitatis in unitis, nec fingere unionem sine unitorum unitate licet. Ubi ergò est realis unio, ibi fiat oportet reale unitum & unum.

10. *Unio realis sine unitorum præsentiâ nulla est.* Necessum enim est, ut unita sint conjuncta ad unum, qvod qvomodo fieri poterit sine præsentiâ? Errat ergò Keckermannus, qvando unionem fingit inter relata locis disjunctissima.

11. *Ubi ordo, ibi multitudo: sed non contra.*

Cap.

Caput II.

De Vero & Veritate.

VErum est id, qvod habet essentiam sibi debitam, suæq; naturæ competentem. *Sic verus homo est, qvi talem habet essentiam, qvalem humana natura postulat, & ejus definitio exhibet. Vulgò ita describitur:*

Verum est, qvod congruit cum intellectu. Item:

Veritas est congruentia sive conformitas rei cum intellectu: *Potissimùm cum intellectu* divino. *Veritas.*

Vulgata ea Veritatis descriptio est deprompta ex vulgaribus & naturalibus rebus. Ita scilicet *vera pictura dicitur, qvæ est conformis cum idea pictoris. In omnibus autem naturalibus & creatis rebus illud est verum Ens, qvod congruit cum intellectu Creatoris, hoc est, qvod ita se habet, qvemadmodum Creator præconceperat illud producere. Sic iste homo est verus homo, qvi talem essentiam habet, qvalem Deus voluit hominem habere: unde qvia Deus per hominem voluit ponere animal rationale, propterea is est verus homo, qvi est animal rationale.* Hæc, inqvam, ita populariter

proponuntur, & in vero Creato, tanqvam analogato notiore, haut obscurè observantur.

EXEGESIS.

„ *Sed Nota* 1. *Universaliter verum id vocari*, qvod in se & suâ naturâ est, uti esse debet, ut verum autem est, qvod in essentialibus omnibus tale est, ut debet esse, non aurichalcum, aut qvod ei simile est. *Eruditè Augustinus lib.*2.*soliloq. cap.*5. *ait*, verum esse id, qvod est, non autem, id qvod videtur, aut qvod tale est, qvale videtur, qvia etiamsi res non videatur, neqve conformitatem habeat cum aliqva cognitione, nihilominùs vera est. *Confer. Svaretz. disput.*8.*sect.*7.*num.*2. Sic apud Terent. dicitur, *videre verum, atq; ita, uti res est, dicere.* Contrà qvod in suâ naturâ tale non est, qvale dicitur esse, id verè non est tale, sed vel æqvivocè, vel ob aliqvam similitudinem & proportionem. Sic idola dicuntur falsi Dii, qvia φύσει, naturâ, tales non sunt. *Gal. IV. v.* 8. Hinc *sanè omninò dicendum videtur, qvod abstractissimè loqvendo*: Verum sit id, qvod est, uti se in sua essentia habere debet. Sive qvod habet essentiam sibi debitam, naturæqve suæ competentem,

Explicatio veri.

tem, v. gr. Verum aurum illud est, qvod habet talem essentiam, qvalem natura ejus postulat. *Sic vera pictura & effigies, vera pulchritudo dicitur, qvæ est, uti esse debet: Sic vera pietas, vera amicitia dicitur, qvæ in suâ naturâ est, uti esse debet, sincera sine fuco.*

2. Verum opponi ficto, & apparenti, umbris & imaginibus. Sic veritas negativè & populariter explicari solet per negationem fictionis, & apparentiæ: *qvomodo illud est Ens verum, qvod non tantùm apparet ita esse, sed secundùm se omninò ita est, ut esse debet.* Ita Aristoteles passim distingvit apparentia à veris *lib. 1. Top. cap. 1. item lib. 1. de Fall. cap. 1. lib. 3. de Anim.* Unde Svaretz disput. 8. Metaphys. sect. 7. *Verum*, inqvit, aurum dicere solemus, ut *illud ab apparente distingvamus, verum hominem, ut eum à picto discernamus, verum Deum, ut à falsis illum separemus. Sic ergò verus homo dicitur, qvi non est fictus homo. Sic verus amicus dicitur, qvi non est fucatus, aut apparet esse amicus. Item verus Syllogismus, qvi non saltem apparenter est verus. Sophisticus ergò, qvia non verè colligit aliqvid: Sed saltem videtur colligere, falsus dicitur.* Augustin. *lib. 2. Soliloq. cap. 5. re-*

„ *ètè docet.* Verùm non rectè dici esse id,
„ qvod ita se habet, ut videtur cognitori,
„ qvia secundùm hoc nihil esset verum, si
„ nullus cognosceret.

„ 3. *Verum opponitur signis, vocibus, & nudis nominibus.*

„ 4. Tandem Veritas dicit conformitatem cum sua idea, juxta qvam esse suum
„ habet. *Ut imago cum re imaginatâ, picturâ*
„ *seu effigies cum re picta. Sic omnis creatura*
„ *verum esse habet, prout congruit, & conformatur cum idea mentis divinæ. Sic omne artefactum dicitur verum, qvando est elaboratum*
„ *juxta ideam artificis, qvâ in mente artificis erat præconceptum.*

Præcepta
De variis Veritatis distinctionibus.

Complexa Veritas. 2. Cæterùm Veritas est vel Incomplexa vel Complexa. *Hæc est* Entis complexi, itemq; Propositionum & Syllogismorum veritas, prout nempe propositio consentit cum ipsis rebus, qvas enunciat. *Ut homo est animal, homo non est lapis, sunt propositiones veræ, & complexam dicunt veritatem.*

Incomplexa Veritas. 3. Incomplexa Veritas est in terminis simplicibus.

Et

Et hæc vel est 1. ipsius rei, vel 2. conceptuum simplicium, vel 3. vocum, & scripturarum.

4. Veritas rei seu in essendo est, quâ quodvis Ens in sua essentia dicitur verum, quia habet essentiam sibi debitam, suæq; naturæ competentem, non fucatam, non inaniter confictam. Vocatur essentialis veritas, Metaphysica & Transcendentalis. *Sic primò Deus est verus, absolutè verissima & prima Veritas dicitur.* Nota: Deus per essentiam & naturam suam verus est. Cautè igitur agendum est, quando veritas Dei explicatur per conformitatem ad intellectum.

5. Veritas Conceptuum nihil aliud est, quàm congruentia conceptûs cum ipsa re, quæ concipitur: *quando nempe res reverà concipitur in mente, prout existit extra mentem, tum oritur conformitas inter conceptum & rem ipsam. Et sic dicitur* Veritas conceptûs. *Veritas Conceptuum.*

Huc pertinet Veritas in cognoscendo, quæ nihil aliud est, quàm vera rei cognitio, quæ infert conformitatem intellectûs vel cognitionis ad ipsam rem, quæ cognoscitur.

6. Veritas vocum & literarum consistit

sistit in significatione illarum rerum, qvas significare debent. Ut est verus earum sensus, vera significatio.

Appendix.

De cognatis veritatis Distinctionibus, scitu necessariis, & uberioris illustrationis gratiâ insertis.

7. *Porrò* Veritas alia *Logica* dicitur, alia *Ethica*.

Veritas Logica est conformitas orationis cum ipsis rebus, *qvalis est in Enunciatis veris*.

Veritas Ethica. Veritas Ethica est virtus consistens in sermone, prout hîc consentit cum mente loqventis, & cum ipso facto: *Dicitur* Veracitas, *de qva Ethici. Videatur Theor. Transc. de Vero.*

8. Præterea Veritas alia dicitur sententiarum, & alia connexionum.

Veritas sententiarum est ipsarum rerum, qvando orationes verificantur in ipsis rebus, ut nix est alba.

9. *Veritas connexionum est conveniens terminorum connexio.* Sic dicitur verus Syllogismus, in qvo est legitima terminorum dispositio.

Præ-

Præcepta

De Oppoſito Veri.

10. Veritati opponitur 1. Ignorantia, prout eſt Incomplexa, 2. Falſitas, quando eſt complexa. Ignorantia privativè opponitur Vero: *Nam ubi ignorantia pura eſt, ibi nihil eſt. E. in mente, quæ laborat ignorantiâ, Vero nihil opponitur, ſed tantùm privatio Veri ibi eſt. Ariſt. lib. 9. Metaph. cap. 9. 10.* Rectè Damaſcen. cap. 1. Dialect. *Falſa*, inquit, *cognitio, qua non Entia, ceu ſint, apprehendit, ignoratio potiùs eſt, quàm cognitio.* *Ignorantia.*

11. Ignorantia vel eſt ſimplex ſecundùm puram negationem, vel conjuncta cum erroribus & ſecundùm pravam diſpoſitionem.

12. Ignorantia puræ negationis eſt, quando ſimpliciter aliquid ignoratur, & nihil de re aliquâ intelligitur, ut infans ignorat ſcientias.

13. Ignorantia pravæ diſpoſitionis eſt, quando falſæ opiniones & errores habentur de aliquâ re, ut in Hæreticis. Hæc ſæpè eſt affectata, & cum perſvaſione ſcientiæ conjuncta, indeque fit cauſa multorum errorum.

De Falso.

Falsitas.

14. Falsum variè dicitur, *ut habet Aristot. lib. 4. Metaph. cap. 21.*

Falsitas quidem propriè non est in ipsis rebus, tamen impropriè illis solet tribui, quatenus Intellectus circa res occupatus fallitur. *Videatur Aristot. lib. 9. Metaph. cap. 10. & lib. 3. de anima cap. 6.*

15. *Hinc* Triplicia oriuntur Falsa: Possibilia, Impossibilia, & Apparentia.

Falsa possibilia.

Falsa possibilia sunt, quæ quidem actu non sunt, quando esse dicuntur, interim aliquando possunt esse: *Ut Professor Matheseos hodiè disputabit. Item, nix jam decidit. Illa quidem falsa sunt, cùm actu non ita se habeant: Interim non impossibile est, ut ita sint, propterea dicuntur falsa possibilia.*

Falsa Impossibilia & absurda.

16. Falsa impossibilia sunt, quæ, quando esse dicuntur, nec sunt, nec esse possunt. *Aliàs vocantur* absurda: *Ut lapis vivit, homo est spiritus, absurda & falsa impossibilia sunt. Dicuntur ἄδοξα, qualia sunt 1. manifestè falsa. 2. bonis moribus repugnantia. 3. receptis sententiis adversa.*

17. Falsa apparentia sunt, quæ apparent aliter, quàm sunt; *Ut quando umbras, picturas, imagines, & similia pro ipsis rebus sumimus.*

Quo-

Quomodo deniq; vel Definitiones, vel Enunciationes dicantur falsæ, ex Logicis notum est.

AXIOMATA.

I. Unumquodque ut est, ita est in essendo verum. *Aristot. 2. Metaph. cap. 1. Scilicet essendi veritate, fundamentaliter, & materialiter.*

II. Quodcunque est, ut in sua Essentia seu naturâ esse debet, id verum Ens est. *Nam tale Ens habet essentiam, sibiq; debitam essentiam, hoc est, illam, quam habere debet juxta suam naturam propriam. Sic verus homo est, qui in essentia est, ut aliàs homo debet esse essentialiter, nempè, qui constat ex anima rationali & corpore. Sic verum corpus est, quod constat ex materia & forma. Hanc enim essentiam corpus habere debet. Notanter verò dico,* in sua essentia, *hæc enim quando est, ut esse debet, mox ibi verum Ens est, licet quandoq; absint, vel Accidentia, vel modi reales.*

III. Unumquodq; inde habet esse verum, unde habet esse. *Quodcunq; enim dat, vel efficit Ens, etiam verum Ens efficit. Aliàs aliquid non Entis intenderet producere, quod est absurdum. Sic omnis creatura verum suum esse habet à DEO, quia ab ipso*

ipso totum suum esse accepit: Unde tunc omnis Creatura est vera, & Ens verum, quando est, uti Deus illam voluit esse.

IV. Veritas tantùm una est, *hoc est, quod aliàs dicunt*: Unius rei non est nisi unica Veritas. *Item*, Veritas unica, & simplex est, *inquit Cicero lib. 2. de orat. 17.* Item, Plus uno verum esse nequit. *Ratio est, quia Veritas dicit conformitatem ipsius rei, vel ipsius essentiæ cum Intellectu, à quo esse habet. Jam una essentia saltem uno modo, & unâ ratione essendi potest conformari cum suo archetypo. Aliàs enim vel duplex, vel multiplex esse deberet habere una essentia, quod est absurdum.*

V. Non datur duplex, & Contradictoria Veritas. *Aliàs enim aliquid simul esset, & non esset, quod absurdissimum.*

VI. Nihil potest esse verum in una disciplinâ, & simul falsum in altera. *Ratio: quia impossibile est, idem simul esse, & non esse.*

VII. Antiquissimum quodque Verissimum: *Scilicet absolutè atq; ἁπλῶς antiquissimum: quod enim saltem κατὰ τι antiquum est, non statim est verum. Absolutè prius est verum, à quo deflectit error, adeoq; posterior est in ordine naturæ.*

VIII.

VIII. Origo falsi penes animum est: *Scilicet ex accidente, quatenus Intellectus non percipit res, uti in se sunt extrà, ob vitium phantasiæ, vel alio vitio Intellectûs.*

Caput III.

De Bono & Malo.

Bonum.

Bonitas est convenientia perfectionis ad rem ipsam. Item:

Bonitas est perfectio rei denotans convenientiam.

Breviter ita: Bonitas est perfectio Enti conveniens.

Scilicet bonum dicitur, quod habet essentiam sibi convenientem, vel naturæ suæ proportionatam, & suaviter accommodatam, ut vinum, cibus, potus, &c. Sic homo dicitur bonus essentialiter ex eo, quia essentia ejus convenit naturæ hominis, utpote animal rationale optimè consentit cum naturâ hominis, cum ita ab optimo & sapientissimo homo sit productus & creatus. Sic Spiritus essentialiter dicitur bonus, quando habet essentiam vel perfectionem essentialem naturæ Spiritûs consentaneam.

2. Hoc quod dico, in particulari constat ex usu loquendi: ubi illud alicui bonum dicitur, quod ipsi conveniens ac-

Bonũ alicui est, quod convenit,

com-

commodatum & proportionatum est: *Sic eruditio dicitur bona homini, quia ipsi maximè convenit, & speciei humanæ insigniter est accommodata. Sic aqua dicitur bona piscibus, quia ipsorum naturæ, aut entitati admodum convenit. Et ita ubiq; bonitas æstimatur ex convenientiâ.*

Bonum in universali. *Quod ipsum etiam in universali valet de Ente ut sic.* Nam & essentia rei est bona, quæ sibi est conveniens.

Hinc *Ens* essentialiter dicitur bonum, quod habet naturam sive essentiam sibi convenientem.

3. Patet hoc insuper ex vulgari definitione, quâ dicitur, Bonum esse id, quod omnia appetunt. *Arist. lib. 1. Eth. cap. 1. & Plato ait in Hiparcho*, in hoc consensimus, bonum omnes semper velle: *propterea verò aliquid appetimus, quia nobis convenit, vel aliis rebus, à quibus appetitur, aut ad minimum, quia putamus, id nobis aut aliis convenire.*

4. Appetibilitas autem est boni proprietas, ita ut omne Ens sit appetibile, quando est bonum, adeoque conveniens.

Vulgò describitur Bonum per relationem ad voluntatem Dei, ut essentialiter

liter bonum sit, quod congruit cum voluntate Dei. Quæ descriptio in creatis bonis tolerari potest, quæ bona sunt propter voluntatem Dei, indeq; dependet eorum bonitas. Sed cautiùs loquendum est de Bonitate Dei essentiali. Sic enim per naturam Deus bonus est, non per voluntatem. Sapienti satis.

5. Bonum latissimè patet, & in omnibus cernitur rerum generibus, *ut rectè Plato in Euthytemo. Aristot. lib. 1. Ethic. cap. 4. lib. 1. Top. cap. 15.*

De Bono Vero & Apparente.

6. Primò est vel verum vel apparens. Sic *Arist. lib. 2. Phys. cap. 3. text. 81.* nihil refert ait, ad definitionem finis, apparensne bonum sit, an revera bonum. *Aliæ*, inquit, *causæ sunt, ut finis & bonum aliorum. Id enim ejus gratiâ optimum & finis aliorum vult esse. Differt autem nihil, idem dicere bonum, vel apparens bonum.* Videatur Basilius Magnus *in Concion. quòd Deus non sit causa mali, pag. 8.*

7. Bonum apparens est, quod tantùm existimatur esse bonum, non autem in se ita est, adeoq; Φαινομένως est bonum. *Sic Gen. 3. fructus arboris vetitæ videbantur boni; multi appetunt ebrietatem, voluptа-*

ptates, & alia, quasi sint bona, cùm revera sint noxia, & mala: sic furputat bonum esse abripere bona aliena, cùm tamen in se sit malum. Sic otia videntur ignavo bona.

Est vindicta bonum vitâ jucundius ipsâ.

Bonum Verum. 8. Bonum verum est, quod in re ipsâ verè est bonum, & appetibile. *Sic omnis virtus est bona, & omne donum Dei verè est bonum.*

De Bono Transcendentali, ejusque oppositis, Bono Naturali & Morali.

Porrò Bonum verum est vel Transcendentale, vel Naturale & Morale.

Bonum Transcendentale. Bonum Transcendentale est ipsius essentiæ bonum, quod consistit in convenientia Entis cum propria sua natura. Etenim essentiale bonum est, quod bonitatem essentialem habet. Vocatur essentiale & Metaphysicum bonum.

9. Bonitas autem essentialis est, quæ ipsi essentiæ est conveniens, & quâ aliquid sibi ipsi est conveniens.

Naturale. 10. Bonum Naturale est convenientia naturæ, & virium ipsius in certo genere Entis, prout ad naturam, & vires naturales

rales determinatur bonitas. *Sic sanitas corporis, robur membrorum, justa statura qvantitatis, pulchritudo, optima aëris temperies, fertilitas agrorum, & qvodcunqve bonum à causis naturalibus proveniens, naturamq; in naturalibus perfectionibus perficit, id omne vocatur bonum naturale.* Eleganter scribit Seneca epist. 77. ad Lucil. Omnia suo bono constant, vitem fertilitas commendat, vinum sapor, & velocitas cervum. Qvare fortia dorso jumenta sint, qværis? qvorum hic unus est usus sarcinas ferre. In cane sagacitas prima est, si feras investigare debet, cursus, si consequi, audacia, si mordere & invadere. Id qvoqve optimum esse debet, cui nascitur, qvo censetur: In homine optimum est Ratio. Hæc antecedit animalia, Deos sequitur. Ratio ergò perfecta proprium hominis bonum est: cætera communia. Valet, & leones, formosus est, & pavones, velox est, & equi, habet vocem, sed qvantò clariorem canes, acutiorem aqvilæ, graviorem tauri, &c.

11. Bonum Morale dicit convenientiam cum lege naturæ, & rectâ ratione, aliisqve honestis legibus in genere morum, *Morale.*

rum, estqve nihil aliud, qvàm honesta actio, benè moratum, & virtuosum factum, & omnis εὐνομία, *v.g. Omnes mores boni, omnes virtutes, tùm Ethicæ, tùm Theologicæ, sunt bonum morale, ut Pietas, Fides, Probitas, Honestas, Sanctitas, Temperantia, Castitas.* Notanter scribit Seneca Epistol. 90. Si qvis omnia alia habeat, valetudinem, divitias, imagines multas, sed malus ex confesso sit, improbabis illum: item, si qvis careat pecuniâ, clientum turbâ, nobilitate avorum, si ex confesso bonus est, probas illum? Ergò hoc unum hominis bonum, qvod qvi habet, laudandus est.

De Bono per Essentiam, & per Participationem.

12. Dehinc *Bonum est* per Essentiam, vel per Participationem.

Bonum per Essentiam.

Bonum per Essentiam dicitur, qvod primò & independenter à seipso habet bonitatem, adeoqve à se, & ex se, & per se bonum est. *Qvomodo solus Deus est bonus per essentiam. Hic enim solus à se est, & non ab alio.* Sic Plato Deum vocat Bonum, & *boni in natura causam.* Nimirum ab hoc *primo Bono* non nisi bonum provenit,

venit, cùm immutabiliter & summè bonum sit, qvodqve adeò *nullius mali causa* esse potest, ut graviss. inculcat *Plato lib. 2. de Republica, sive in Dialogo de Justo. Omni*, ait, *contentione pugnandum est, ne qvis in civitate, qvæ benè regi debet, vel dicat, vel audiat, sive senex, sive juvenis, sive in poëmate, sive alio sermone, DEUM esse alicui causam malorum, qvia hoc neqve sanctè ita dici potest, neqve utile est civitati, neqve secum consentit in explicatione.* Item Averroës Interp. Platon. tract. 1. de Republ. *Dicamus inter absurdas fabulas hanc qvoqve esse, qvam passim vulgus agitat, boni pariter atqve mali causam Deum esse, cùm manifestum sit, puram simplicemq; Bonitatem nihil ullo tempore mali facere, atqve ideò illius causam non esse. Malum itaqve ad aliud principium debet referri, velut ad Asmodi, cacodamonum principem, qvi destructor atq; corruptor omnis boni est.*

13. Bonum per Participationem est illud, qvod ab alio dependet, à DEO originem habet in Creaturis. *Habent enim & Creaturæ bonitatem, sed illam participârunt à DEO per creationem.* Ut Gen. 1. omnia creata dicuntur valdè bona. *Eruditè Augustinus lib. 1. de doct. Christ. cap. 32.* *Bonum per participationem,*

qvia Deus bonus est, sumus, & in qvantum sumus, boni sumus.

14. Prætereà Bonum est vel Absolutè bonum, vel Alteri, & pro ratione temporis.

Absolutè bonum. Absolutè bonum est, qvod in se & simpliciter habet convenientiam. *Sic veræ religio, salus æterna, artes, sapientiæ, sunt absolutè bona.*

Alicui bonum. 15. Bonum alicui & pro tempore tale dicitur, qvod alicui commodat, & in certo tempore convenit aliis. *Sic bellum gerere nonnunqvam est bonum. Item, milites conducere, non rarò vitam perdere temporalem conducit: Sic bonum est membra putrida resecare, ne pars sincera trahatur.*

APPENDIX.

De Cognatis Boni distinctionibus uberioris illustrationis gratiâ insertis.

16. *Porrò* Bonum est vel Honestum, vel Jucundum, vel Utile.

Bonum Honestum. Bonum Honestum propter se expetitur, & honestatis legibus est conveniens. *Sic omnis virtus, omnis honesta & justa actio est bona.*

Jucundum. 17. Bonum Jucundum est, qvod delectat & amorem sui conciliat. *Ut saltare, con-*

conversari cum amicis, compotare, voluptates sectari: & summatim omne voluptuosum est bonum jucundum.

18. Bonum Utile est, qvod prodest, conducit, & commodum adfert. *Sic lucrari est homini utile: Item, navigare, negotiari ob pecuniam acqvirendam.* *Utile.*

19. Deniq; Bona sunt vel Naturæ, vel Fortunæ.

Bona Naturæ dependent ex ipsius naturæ perfectionibus, *uti vires corporis. Item, dona animi, & bonum ingenium, bona memoria, judicium felix, sunt bona naturæ.* *Bona Naturæ.*

20. Bona verò Fortunæ sunt, qvæ fortuitò qvasi hinc inde à cura humana acqviruntur, atqve facilè iterum perduntur: *ut sunt Divitiæ, Opes, Honores, Fama.* *Bona Fortunæ.*

De Malo, Boni opposito.

21. Bono opponitur Malum, qvod est privatio perfectionis debitæ inesse, ut morbus est privatio sanitatis.

Malum est defectus boni, qvod aptum natum est haberi, v.g. claudicatio in pedibus.

Primò qvidem Malum est defectus, ut destructio boni, absentia & carentia alicujus perfectionis. Ubi enim malum *Malum.*

est, ibi deest bonum, & qvi malô premitur, bonô privatur.

Deinde verò malum est carentia boni DEBITI. Non enim qvævis absentia boni ponit malum, sed illius boni privatio est mala, qvod bonum debet inesse, & qvod aliàs rem perficit, ut in oculo cœcitas est malum qvid, qvia tollitur visus, qvi debet inesse oculo.

Apparens Malum. 22. Malum variè dividitur. Primò est vel reverà malum, vel saltem apparens. Hoc est, qvod pravæ opinioni videtur esse noxium, cùm tamen in se sit bonum. *Ut amara ægris, frequentare Scholas pueris, laborare, utpote Philosophiam, primam sapientiam, Matheſin, Physicam, addiscere, multis videntur esse mala, cùm tamen in se sint optima.*

Reverà Malum. 23. Malum Reverà est, qvod in sua natura est noxium, & in se est inconveniens.

Et hoc qvidem vel Naturale, vel Morale.

Malum Naturale. Malum Naturale dicitur, qvod est defectus naturæ, & imperfectionem dicit in viribus naturalibus. *Sic claudicatio, morbus, febris, sterilitas, monstra, intemperies aëris: & summatim omnis imbecillitas, omnis*

omnis defectus naturalis dicitur malum naturale.

24. Malum Morale est omne vitium, & omne peccatum, qvodcunq; est contra leges bonas, Divinas vel Humanas, adeòqve est contra bonos mores. *Id omne vocatur malum morale, ut intemperantia, avaritia, usura nimia, convitia, calumnia, & peccata qvæqve.* *Malum Morale.*

25. *Deinde* Malum est vel Culpæ, vel Pœnæ.

Malum Culpæ est transgressio legum, adeòqve est ἀταξία, vel in actione, vel omissione libera, per qvam ἀνομίαν homo contrahit culpam: *qvomodo omne peccatum, & omne vitium est malum culpæ, ut homicidia, flagitia, blasphemiæ.* *Malum Culpæ.*

26. Malum Pœnæ est carentia boni per culpam contracta, *hoc est*, est ipsa pœna, qvæ infligitur ob malum culpæ. *Ut pestis, annonæ caritas, sævities belli, dolores.* Ubi sciendum, qvòd malum pœnæ non absolutè sit malum, sed alteri, nempe isti, cui infligitur, & qvi punitur illô malô. Observes item, qvòd malum pœnæ sit vel purè vindicativum, vel medicinale. *Malum Pœna.*

Malum purè vindicativum est, qvod in puram vindictam infligitur absqve

ullo fructu ejus, qui patitur. Ut est damnatio æterna.

Malum Medicinale est, quod alicui infligitur ad hoc, uti ei conferat ad bonum. Sic Deus punit, ut homo resipiscat.

27. *Denig.* Malum est vel absolutè & simpliciter, vel saltem alicui, & secundùm quid.

Absolutè malum. Malum ἁπλῶς dictum est, quod semper & ubiqve est noxium. *Ut peccata, morbi, corruptiones & privationes.*

Alicui malum. 28 Malum alicui dicitur, quod hujus vel alterius rei naturæ repugnat, licèt aliàs possit esse bonum quid. *Sic aqva est homini mala, in quantum homo neqvit vivere in aqva, licèt aliàs piscibus sit bona. Sic amaræ amygdalæ noxiæ sunt vulpibus, non item hominibus. Ad mala absolutè dicta pertinet malum æternum, ut est damnatio æterna, qvâ divino bono privantur condemnati.*

AXIOMATA.

I. Omne Ens, qvod est, in qvantum est, bonum est. *Augustin. lib. 83. qvæstion. qvæst. 24.* Item, qvicqvid est, sicut esse debet, bonum est, inqvit *Augustinus libro 3. de libr. arbitr. cap. 15. Eodem sensu scribit Boëthius lib. de Hebd. cap. 2.* Qvicqvid

quid est, in eo, quod est, bonum est. *Scilicet Entitativè & essentialiter. Sic etiam diaboli dicuntur boni in essentia spirituali, quia scilicet adhuc habent illam substantiam spiritualem incorpoream, quam per creationem acceperunt.*

II. Omne Bonum est communicativum sui: & quò præstantius, eò latius sese diffundit. Sed benè & bono modo. *Non enim omne bonum necessariò, & quovis modo est communicativum sui: Sed quoddam liberè, uti DEUS liberrimè bona communicat hominibus. Deinde intelliges bonum esse communicativum sui*, 1. in quantum potest. 2. In quantum materia apta est recipere. 3. In quantum fas est, & decet. 4. χρήσει, usu, non κλήσει possessione.

III. Quod per se bonum est, præstantius est illo, quod ex Accidente bonum est. *Sic præstat sanitas deambulatione: hæc enim appetitur propter illam.*

IV. Omnia Bonum appetunt. *Item:* Nil nisi bonum appetitur. *Si non semper verum, tamen apparens.*

V. In quantum quid deficit in esse, in tantum est malum: *Omne enim malum dicit defectum, & privationem alicujus boni, quod erat vel essentialis perfectio, vel accidentalis.*

VI. Malum non est, nisi à causa secunda & particulari. *Nam omne malum oritur per defectum, & à causa deficiente unicè ortum habet: jam verò sola particularis causa potest deficere in agendo, nequaquam verò causa prima, quæ est infinitæ Potentiæ & Sapientiæ.*

VII. Defectus in re consequitur ex defectu in causa: *Scilicet non per efficientiam; Sed per nudam quandam consecutionem. Ita ut quod deest in efficiente, postea quoque desit in effectu.* Hæc de Unitis Entis affectionibus. Quæ ut communiter proponi solent, ita hâc vice sufficiant. Reliqua, quæ hoc loco disputantur *de perfecto, ubi & duratione*, altioris sunt indaginis: in fusioribus scriptis ejusmodi controversiæ commodiùs proponuntur & expediuntur.

Caput IV.

De Actu & Potentia.

Fluerunt affectiones Entis unitæ, sequuntur nunc disjunctæ, quæ conjunctim cum Ente reciprocantur, ita ut dicatur: omne Ens vel est Actu vel Potentiâ: Causa vel Causatum; Increatum vel Creatum, &c.

2. Sunt autem ejusmodi Entis affectio-

ctiones vel immediatæ vel mediatæ. *Illæ* proximè & immediatè fluunt ex ipsâ essentiâ rei, quales sunt, 1. Actus & Potentia. 2. Principium & Principiatum. 3. Causa & Causatum. 4. Necessarium & Contingens. 5. Independens & Dependens. 6. Esse à se, & esse ab alio; quò pertinet Increatum & Creatum. 7. Infinitum & Finitum, & denique 8. Incorruptibile & Corruptibile, seu Mutabile vel Immutabile.

Mediatæ verò conveniunt Enti per alias mediantes affectiones, *ut infrà explicabitur cap. 15.*

Nunc igitur primò agamus oportet de *Actu & Potentia, ex Arist. lib. 9. Metaph. cap. 1. & seqq. lib. 8. Phys. c. 4. text. 32.*

Omne Ens est vel actu vel in potentiâ, itemque actus, vel potentia, δυνάμεις, *ut Aristot. lib. 1. de anima text. 6. rectè monet, considerandum esse, num sit* τῶν ἐν δυνάμει ὄντων, *eorum, quæ in potentia sunt, an potiùs* ἐντελέχεια, *actus.*

Potentia est affectio Entis, quâ id in actu esse potest. Intellige potentiam Transcendentalem, non Prædicamentalem aut accidentalem. Vocatur quoque potestas, *sed hæc vox strictior est,*

impor-

importans jus & licentiam. Ita homo habet quidem potentiam malè agendi, occidendi, furandi, sed non potestatem. Item quivis habet potestatem se defendendi adversus inimicos, sed non semper habet potentiam *ob infirmitatem corporis vel defectum armorum. Appellatur quoq; dispositio ad essendum, vis & promptitudo ad agendum, propensio & inclinatio ad patiendum. Et hic est status Entis in esse possibili*, in quo Ens consideratur, prout potest esse. *Vulgò sic describitur*:

Potentia est conditio essendi, quâ id potest esse, quod est, itemque agere aut pati. *Quæ descriptio cùm facillima sit, meritò retinetur.*

Nota: Etiam ea, quæ actu sunt, possunt esse, *v. gr. Dies qui actu est, potest esse, quod movetur, potest moveri, qui agit, loquitur, ambulat, potest ambulare, quod corrumpitur, putrefit, id sanè potest ita pati.* Datur ergò ibi potentia, per quam esse vel agere, vel pati possunt.

Imprimis v. hoc loco expendendum probè est, aliud esse ἐν δυνάμει, in potentiâ esse, & aliud δύναμιν, seu potentiam esse. Quid sit δύναμις, modò indigitavimus.

In

In potentia dicitur 1. *ad esse in fieri*, quâ Ens id esse potest, quod nondum est, sed fieri potest. Sic δυνάμει est *pullus in ovo, quercus in glande, pluviæ in nubibus. Puer dicitur in potentiâ doctus, quia progressu temporis eruditione poterit informari. Sic nix est in potentiâ, quando actu nondum decidit, sed adhuc continetur in vaporibus tenuioribus collectis, ex quibus potest generari. Videatur Aristot. lib. 9. Metaph. cap. 1.* 2. Dicitur in potentiâ *ad esse in statu possibili*, quo aliquid id esse potest, quod est, *ut homo natus, cùm sit, omninò potest esse, fructus maturi possunt esse, quod sunt.* 3. Est in potentiâ *ad operari, seu ad agendum*, ut homo dormiens ad evigilandum, *sedens ad ambulandum, quin & tum, quando actu operatur, præcisè considerari debet, quòd itidem sit in potentiâ ad operandum, scribens consideratur, prout potest scribere.* 4. In potentiâ dicitur aliquid *ad pati*, ut æger ad dolores, aër, aqua, ad putredinem, homo ad mortem, &c.

Potentia multiplex est, prout actus ejus diversus. Ordinatur enim ad actum entitativum, formalem, primum vel secundum, &c. *uti paulò post infrà ordine explicabitur.*

Præ-

Præcepta

De potentiâ essentiali, activa & passiva.

Cæterùm in genere triplex est potentia, *essentialis, activa & passiva*. Vulgò additur potentia *objectiva*. Sed hæc verè realis non est, sed nuda non-repugnantia. Item distingvi solet potentia in Activam & Passivam, quæ famosissima & celeberrima doctrina est *ex Arist. lib. 9. Metaphys. c. 1. & lib. 4. Metaphys. c. 2.* quæ nunquam non inculcatur à Philosophis. Nos ut paulò distinctiùs agamus, addere voluimus potentiam *essentialem*, in esse Entis, quà tale est.

Potentia essentialis est, quâ unumquodq; esse potest, uti constat è dictis.

De potentia activa.

Potentia activa est affectio Entis, qua id efficax est ad actum producendum. *Vocatur* vis & virtus agendi. *Talis est potentia lucendi, oriendi, occidendi in stellis, calefaciendi in Sole, urendi, adscendendi in flammâ, volandi in avibus, natandi in piscibus.*

Vulgò sic describitur:

Potentia Activa est vis, sive facultas agen-

agendi in aliud, in quantum est aliud, *ut Sol agit in aërem illuminando, ignis in aquam calefaciendo. Deus potenter omnia servat, regit, &c.* Hæc ergò potentia Activa non tantùm naturalibus agentibus tribuitur, sed etiam ipsi DEO. Hic enim est potentissimus. *Verùm observes, quòd hæc descriptio non sit adæquata: Dantur enim potentiæ activæ, quæ agunt actione immanente, sicq; non agunt in aliud, sed potiùs in semetipsas, utpote quando intellectus seipsum intelligit, cognoscit, contemplatur. Voluntas elicit volitionem in se, qua sibi πρώτως benè cupit, complacet. Sic gravitas & levitas sunt potentiæ loco motivæ, per quas non moventur alia diversa, seu quatenus alia sunt, & extra, sed propria corpora, in quibus ipsæ sunt. Arist. l. 4. Metaph. c. 12. ita definit:*

Potentia Activa est principium motûs in alio, quatenus aliud est. *Sed nec hæc definitio sufficiens est, nec proba satis. Cùm non omnis potentia activa agat cum motu aut mutatione earum rerum, in quas agit.* Certè potentia creatrix Dei verè activa potentia est, *non tamen est principium motûs aut mutationis, cùm creatio non sit motus nec mutatio. Hæc enim subjectum requirunt.* At vero creatio nullum requirit sub-

subjectum, sive ex quo, sive in quo aliquid creetur. *Sic intellectus, appetitus, sensus, visus &c. non mutant sua objecta, in quæ agunt.*

Potentia Activa Infinita 5. Cæterum Potentia Activa est vel Infinita vel Finita.

Infinita solius Dei. Potentia Infinita dicitur Omnipotentia, & est solius Entis Infiniti propria. *Quod enim in sua essentia infinitum Ens est, id etiam infinitè potens est: quomodo solus Deus obtinet potentiam infinitam ex se, & suâ naturâ.* Deinde illa infinita potentia DEI communicativè tribuitur humanæ naturæ Christi, quia hæc subsistit in λόγῳ divino, & ita cum DEO constituit unam personam.

6. Solet autem illa DEI potentia infinita certo respectu distingvi in Absolutam & Ordinariam, uti notum est ex Theologiâ.

Absoluta. Absoluta DEI potentia dicitur, quâ DEUS simpliciter omnia potest, quæ fieri possunt, sive simpliciter & absolutè possibilia sunt, nec contradictionem involvunt. Sic omnia facit Dominus in Cœlo & in terris, quæ vult, bona sunt, & in ordine Entium fieri possunt.

Sic

Sic dicitur, qvòd Deus posſit ex lapidibus excitare filios Abrahæ. Item: Omnes homines poſſet conſervare ſine victu, ſine potu & cibo, & ſine amictu. Certum etiam iſtud eſt: qvæcunqve Deus vult qvocunqve modo, aut velle poteſt, aut vult poſſe, illa omnia per abſolutam ſuam potentiam efficere & perficere valet: Sed nec illud dubium eſt, aut ſimpliciter inficiatur, qvin Deus ea qvoqve posſit, qvæ certô modô non vult.

7. Ordinaria DEI potentia dicitur, qvâ DEUS agit modô ordinariô per certa media ab ipſo inſtituta: *Sic Deus per cibum & potum nos ſervat, per labores ditat, non niſi credentes ſalvat, incredulos verò damnat, & ita juxta potentiam ordinariam hodiè agit cum hominibus. Vide infrà de Potentia ordinaria & extraordinaria.* *Ordinaria.*

8. Finita Potentia eſt, qvæ limitatur, adeòqve finitur in aliqvo poſſe, ita ut non omnia posſit facere & producere, ſed qvædam ſaltem. Eſtqve illa potentia creaturarum propria. *Ut enim omnis creatura eſt Ens finitum, ita etiam habet δύναμιν agendi finitam & particularem.* *Finita Potentia.*

De Potentia Rationali & Irrationali.

9. Porrò Potentia est vel Rationalis, vel Irrationalis. *Illa dicitur* voluntaria & libera: *Hæc verò* Naturalis. *Aristot. lib.9. Metaph. cap.2.& 5.*

Rationalis. 10. Potentia Rationalis h.l. nihil aliud est, qvàm potentia intellectualis, voluntaria & libera, qvæ ad utramqve contradictionis partem indeterminatè se habet, h.e. qvæ indifferenter se habet ad agere, & non agere: *qvalis agendi vis est in Angelis & hominibus. Hi enim sunt libertate & liberò arbitriò præditi. Sic Studiosus potest scribere & non scribere, ambulare & non ambulare. Utrumqve enim per potentiam realem liberam potest agere aut omittere.* Et hæc potentia rationalis competit primò voluntati, rationi, indeq; consequenter appetitui hominis sensitivo, & reliqvis potentiis loco motivis. *Arist. lib.9. Metaph. cap.2.*

Irrationalis. 11. Irrationalis potentia nihil aliud est, qvàm naturalis agendi vis, qvæ sine libertate determinatè agit: *qvalis potentia est in omnibus corporibus inanimatis, itemq; in omnibus rebus ratione & voluntate*

luntate carentibus. Sic Sol habet potentiam calefaciendi, sed irrationalem, ita quidem, ut determinatè semper Sol calefaciat, & quidem non possit non calefacere. Sic ignis juxta vim naturalem urit & ascendit. Summatim: Omnis causa naturalis agit juxta vim irrationalem, hoc est, naturaliter.

De Potentia Passiva.

12. Potentia Passiva est, secundùm quam aliquod potest pati ab alio. *Aristot. lib. 9. Metaph. cap. 1. & lib. 4. Metaphys. cap. 12.* *Passiva Potentia.*

Et hæc tantùm est in creaturis, nullô autem modô in Creatore. Nam hæc passiva potentia dicit imperfectionem & subjectionem aliquam: Scilicet pati ab alio aliquid est imperfectionem in se suscipere, ut: quando homo vulneratur, patitur, & dolores in sese recipit. Igitur dicendum erit, quòd solæ & omnes Creaturæ habeant in se aliquam potentiam passivam, quippe dependent à DEO, & ita subjectæ sunt DEO.

Sic etiam Angelis competit potentia passiva, secundum quam à DEO possunt puniri, *ut mali Angeli æternis gehennæ tormentis torquebuntur. Sic in homine multifaria datur potentia passiva perpetiendi fri-*

gus, calamitates, ærumnas, dolores, famem, sitim.

De Potentia Naturali, & Obedientiali.

13. *Cæterùm* Potentia est vel Naturalis, vel Obedientialis.

Naturalis. Potentia Naturalis est realis inclinatio à naturâ insita ad aliqvem actum, qvi ab agente naturali potest perfici. *Sic in semine est potentia naturalis passiva, ut ex eo per naturam producatur corpus animatum. Sic in humano semine est propensio naturalis ad hominem. Sic juxta potentiam naturalem è nuce fit corylus, de glande fit ardua qvercus. Sic in aqva est potentia naturalis ad glaciem, cùm naturaliter per operationem frigoris, tanqvam per causam naturalem, actu ex aqva fiat glacies. Sic in cibo, utpote in carne, pane, pomo, piscibus, est potentia naturalis, ut per operationem ventriculi exinde fiat chylus, & in chylo est potentia naturalis ad sangvinem, & in sangvine est potentia naturalis, ut transmutetur in substantiam corporis viventis.*

Obedientialis. 14. Potentia Obedientialis est, qvæ præter suam naturam alterius efficaciæ subjici potest, ut exinde fiat actus. Dicitur

citur ita per ἀναλογίαν, qvôd agenti externo qvasi obediat, hoc est, non resistat sufficienter.

Sed hæc potentia per se vera & realis non est, uti communiter proponitur, & in subjecto passibili consideratur. Qvæ verò illic est ad effectum producendum, ea est in agente: Qvæ dicitur vel respectu DEI, nempe virtus agendi tam valida est, ut etiam ex illo, qvod de se non est habile, possit aliqvid producere. *Sic dicitur, posse fieri ex lapidibus filios Abrahæ: ubi certè vera potentia ad filios Abrahæ nulla est in lapidibus. Hi enim nullam inclinationem habent ad filios Abrahæ, sed unicè qværenda est illa potentia in agente, nempe in DEO, qvi tam potens est, ut etiam ex ineptissimis materiis actum aliqvem possit producere. Sic juxta potentiam obedientialem ex aqva fit vinum, ex lapidibus producitur aqva.* Qvæ potentia obedientialis dicitur respectu DEI, non qvòd sit potentia passiva in DEO, sed qvòd vis illa producendi unicè à DEO proveniat, qvâ effectus producitur.

Similiter respectu hominis datur potentia qvædam obedientialis, utpote qvando artifex aliqvod artificium exstruit, *v. g. facit ex ligno statuam, mensam,* Vel respectu hominis.

vel scamnum, ex corio, ex panno, vestem: ubi potentia ad effectum producendum non tàm est in patiente, qvàm in agente.

EXEGESIS.

De Potentia Objectiva & Subjectiva.

Porrò dividi solet Potentia in objectivam & subjectivam.

Potentia objectiva dicitur, per qvam aliqvid, nondum existens, aptum est ad hoc, ut sit objectum potentiæ activæ, idqve per eam fiat sive producatur, ut sit. *Qvæ propriè loqvendo nihil aliud est*, qvàm nuda negatio simplicis imposſibilitatis, sive pura non repugnantia rei non existentis ad hoc, ut fiat & existat. *Sic omne creabile & producibile dicitur esse in potentia objectiva, eò qvòd non repugnet esse. Mundus ante creationem sui erat in potentia objectiva, qvia non existebat, attamen existere poterat, vel existere ei non repugnabat. Angelus ante creationem sui erat in potentia objectiva, qvia potuit esse objectum potentiæ divinæ, & ab ea creari.* Unde patet, duo reqviri, ut aliqvid dicatur esse in potentia objectiva, 1. *ut non sit.* 2. *ut ipsi non repugnet esse.* Qvæ certè potentia *nihil aliud est*, *qvàm*, *ut dixi*, pura

pura negatio impossibilitatis. *Et hactenus dicitur* Potentia Logica, *item* Mathematica, *ut qvando linea dicitur esse apta ad qvamvis figuram, sive triangulum & qvadraturam, sive rectam, sive obliqvam.* Appellatur *pura objectiva* potentia, qvæ in se nihil simpliciter est, & purum non-Ens, *adeóq; & id, qvod in ea esse dicitur, reale Ens non est, sed nihil, v.g. lux ante creationem nihil fuit, itemq; homo nihil fuit, anteqvam crearetur.* Eqvidem propositio æternæ veritatis est, qvando dicitur, *homo est animal*, sed in esse objectivo, non reali.

Potentia subjectiva est realis in subjecto, ex qvo aliqvid fieri potest: *qvalis est materia in rerum generatione aut constitutione, & qvicqvid rationem subjecti habet.* Vocatur materia susceptiva & receptiva. *Hæc certè omninò distingvenda est à priori objectivâ, nec cum eâ perperam confundenda.* Illa enim tribuitur omni creabili, qvod ex nihilo fit, ubi subjectum nullum est, nec potentia subjectiva. *Certè mundus ante creationem fuit in pura potentia objectiva, sive omni subjectiva potentia.* *Hæc* verò semper in certo subjecto est, qvod ex eo fieri potest, indeq; & realis est.

De Potentia liberi agentis absoluta & ordinatâ, itemqve ordinaria & extraordinaria.

Potentia in genere qvoqve dividitur in ordinatam & absolutam.

Ordinata est, qvæ agit secundùm legem rectam & ordinem à lege determinatum, *v. gr. in homine ordinata potentia est, qvâ agit secundùm dictamen rectæ rationis & legis in actionibus honestis, piè vivendo, justè agendo.*

Absoluta potentia est, qvæ præter aut contra legem agit, sive de facto facit, qvod libet: *ut Rex, seu Monarcha summus, lege omni solutus absolutè agit, qvod vult. Hac ratione dicunt JCTI, qvòd qvis possit hoc facere de facto, id est, potentiâ suâ absolutâ; vel de jure, i.e. potentiâ ordinatâ secundùm jura. Ita Princeps jubens furem suspendi agit per potentiam ordinatam, qvia hoc est secundùm legem, qvæ fures suspendiô afficit. Qvòd si verò pœnam suspendii mutet in aliam, vel corporis, vel pecuniæ, facit hoc de potentia absoluta.*

Nota: Potentia absoluta sumitur *vel exclusivè*, prout soluta est omni lege, ac fic

sic hoc loco contradistingvitur ordinatæ: *vel simpliciter in sua latitudine*, prout omne id potest, quod contradictionem non involvit, uti notum est de potentia Dei absoluta. Et hæc sub se comprehendit ordinatam.

Denig; Potentia dividitur in ordinariam & extraordinariam. Quæ distinctio ferè coincidit cum priore. Etenim

Ordinaria dicitur, quæ in agendo servat ordinem, modumq; consvetum. *Sic is dicitur agere per ordinariam potentiam, qui conformiter agit Legi & Statutis.*

Extraordinaria potentia dicitur, quæ strictè non persequitur ordinem, sed ea peragit, quæ vel excedunt legem, modumque communem, vel ab eo insigniter recedunt, *ut observare licet in miraculis & inusitatis operibus. Sed de his ipsis alibi exactiùs agitur.*

De Actu.

Hactenus de potentia, sequitur Actus & Status Entis in esse actuali, *in quo actus ita opponitur sive contradistingvitur potentiæ, ut eam vel præcisè neget, ad hoc ut sit, vel perficiat. Nempè quod actu est, non amplius est, sed desinit esse in potentiâ: quod actus est, perfectio potentiæ est, ut forma, habitus, ἐντελέχεια, actio, &c. V. gr. per actum*

entitativum definit aliquid esse in potentia objectiva, uti suprà ab initio hujus doctrinæ præoccupavimus.

Ac primò quidem constat satis, quòd vox, *Actus*, primò significet actionem, activitatem, vim agendi, *uti ex conjugatis ejus vocabulis pernotum est. Sic motus est actus, vita est actus, omnis forma est actus. Et sic quidem actus* respectivè *sumitur in ordine ad potentiam, quam actuat, seu perficit.*

Deinde verò nomen *Actus* translatum est ad denotandam quamvis perfectionem, etiam absolutam: *quomodo etiam DEUS dicitur actus, hoc est, Ens perfectissimum, quod in se habet perfectionem debitam.*

Cæterùm hoc loco Actus imprimis sumitur *respectivè*, & tunc nihil aliud est, quàm consummatio, completio & perfectio alicujus potentiæ, uti motus, sive ambulatio, est actus locomotivæ, volatus est actus potentiæ volandi in avibus, &c. *Sic & forma hominis, nempè anima rationalis, est actus & completio istius potentiæ, quæ erat in semine ad hominem. Sic glacies est actus istius potentiæ, quæ erat in aquâ ad glaciem: Sic omnis habitus, & omnis*

mnis notitia est actus potentiæ intellectivæ, quæ est in homine, utpote in puero ad intelligendum, discendum, scribendum, &c.

De Actu Essentiæ & Subsistentiæ.

18. Distingvitur actus in Actum essentiæ & subsistentiæ. *Actus Essentiæ.*

Actus Essentiæ dicitur, qui rem ita actuat, ut ejus essentia constet, quæ definitione repræsentatur. *Rectiùs ita:*

Actus essentiæ est, quo aliquid constituitur in suo esse actuali. Estque nihil aliud, quàm ipsa essentia actualis, & essentialiter perfecta. Sic animal rationale *vel humanitas actu existens est actus essentiæ humanæ. Sic actum essentiæ considero in rosâ, quando ejus quidditatem scrutor, sine ullâ consideratione subsistentiæ propriæ, & sine determinatione ad materiam singularem.*

19. Actus Subsistentiæ est, secundùm quem res, vel substantia perfectè subsistit, *hoc est*, Actus subsistentiæ est ipsa subsistentia completa, & ultimò perfecta, quæ dicitur *Suppositalitas & Personalitas.* Aliàs vocatur Actus existentiæ. *Actus Subsistentiæ.*

Sic

Sic ergò omne ſuppoſitum, omnisque perſona, quatenus perſona eſt, habet perfectum actum ſubſiſtendi, hoc eſt, perfectiſſimô modô ſubſiſtit, *ut infrà de Suppoſito dicetur fuſiùs.*

20. Aliis actus eſt triplex, Actus eſſentiæ, exiſtentiæ & ſubſiſtentiæ. Sed reverà actus exiſtentiæ non diſtingvitur ab actu eſſentiæ.

De Actu Puro & Impuro.

21. Deinde Actus eſt vel Purus, vel Impurus.

Purus Actus. Purus actus eſt, qui expers eſt omnis potentiæ paſſivæ, & potiſſimùm eſt in DEO. *Deus enim, ut eſt Ens ſimpliciſſimum, ita etiam eſt actus puriſſimus.*

Secundariò actus purus in certo genere tribuitur Angelis & Spiritibus, qui dicuntur Actus Puri, propterea, quòd non habeant admixtam materiam, ut corpora.

Impurus. 22. Actus impurus eſt conjunctus cum potentiâ paſſivâ, & imprimis cum materiâ, *ut in corporibus, unde corpora quàm maximè ſunt actus impuri.* Impurum enim illud eſt, quod habet commiſtum aliquod alienum, ut patet in aquâ impurâ. Ita purum dicitur, quod eſt expers omnis

omnis alieni, ut aqua limpidissima. Unde actus purus erit, qui non habet commistam potentiam à se diversam & alienam.

De Actu Primo & Secundo.

23. Tertiò Actus est vel Primus vel Secundus. *Aristot. lib. 8. Phys. text. 32. & lib. 2. de anima text. 2. & 5.*

Actus primus est ipsa rei essentia, vel forma ejus, nec non perfectio rei. *Sic anima est actus primus corporis animati. Sic omnis forma Physica est actus primus corporis: Sic omnis habitus, utpote Scientia, Sapientia, Prudentia, Ars, Ethica, Politica,* sunt Actus primi. *Primus actus.*

24. Huc pertinet actus Formalis & Entitativus.

Actus Formalis est, quo res constituitur in suo esse, *ut in Physicis corporibus est forma, in homine est anima rationalis*, adde tamen, quòd, uti accidentia & qualitates dicuntur formæ, sic quoq; sint actus subjectorum suorum, v. g. albedo est actus albi.

25. Entitativus actus est ipsa essentia rei, quâ extra nihilum ponitur: *ut materia, & essentia cuiq; rei tota.*

Actus secundus est operatio, proveniens *actus.* *Secundus*

niens ab ipsa rei essentia, vel aliquâ formâ. *Sic ratiocinatio, quia est operatio animæ, dicitur actus secundus in respectu ad animam rationalem. Sic omnes actiones, omnes actuales motiones dicuntur actus secundi, utpote ambulatio, disputatio, locutio, contemplatio, risus.* Sed & Passiones, *an aut quomodo huc referri possint, alibi monendum erit.*

De Actu Signato & Exercito.

26. Quartò Actus est vel Signatus, vel Exercitus. *Ille* est ratio formalis, qua aliquid simpliciter consideratur in esse quidditativo: Hic est ratio materialis in rebus substratis inferioribus.

Exercitus actus. Nempe Actus exercitus vocatur actus particularis, prout in singularibus multiplicatur. *Sic Entia dicuntur considerari in actu exercito, quando particulariter considerantur, prout sunt in certâ materiâ, & in aliquo singulari existunt, ut quando considero definitionem hominis, item quando Genus & Speciem considero, prout est in animali vel homine.*

Signatus actus. 27. Actus Signatus vocatur, quò res universaliter consideratur, & ita universali suò signò repræsentatur: *Sic in Logi-*

Logicis considero Genus, Speciem, Enunciationem, Syllogismum, in actu signato, hoc est, universali & abstractè, quatenus Logica communiter significat & definit, quid sit Genus, quid Species. Sic in Ethicis consideratur Temperantia, Fortitudo, in actu signato, hoc est, universaliter, significando & declarando propriam essentiam virtutum per definitiones & divisiones.

AXIOMATA.

I. Actus est perfectio, finis, & complementum Potentiæ: *scilicet si respectivè sumatur. Tunc enim actus dicitur, quòd actuat & perficit aliud potentiale.*

II. Actus primus præcedit secundum. *Quia se habet instar causæ, ut Scientia ad contemplationem, anima ad vegetationem, sensationem, intellectionem.*

III. Positô actu primô, non continuò potest inferri secundus: *Sic scientia in homine esse potest, licèt ejus operatio & actus secundus non statim adsit, ut in dormiente est habitus scientiæ Matheseως, Physicæ, &c. non autem is actu secundô contemplatur.*

IV. Positô actu secundô, necessariò infertur primus, ut: Eruditè disserit. E. est doctus, & scientiâ præditus. *Sic quia CHRISTUS judicare debet omnes homines, omni-*

omniscientiâ præditus sit oportet. Judicare enim est actus secundus, qui necessariò præsupponit primum, nempe potentiam vel vim judicandi, quæ sanè esse non potest sine notitiâ rei, de quâ fieri debet judicium. Ergò quia Christus Judex futurus est inter omnes homines, bonos & malos, utiq; necessum erit, ut scientiam habeat omnium rerum humanarum.

V. Negato actu secundo, non semper negandus est actus primus, ut: Dormiens non videt actu, interim habet visum. *Sic perperam colligunt Calviniani: Corpus Christi in S. Cœnâ non videtur, non palpatur. Ergò non adest: quasi verò liceret argumentari à negatione actûs secundi ad negationem actûs primi.*

VI. Quantum quidvis habet essentiæ, tantum etiam habet potentiæ. *Sic quia DEUS est perfectissimus in essentia, etiam est perfectissimus in potentia, adeoq; est omnipotens.*

CAPUT

Caput V.

De Principio & Principiato.

1.

PRincipium est initium alicujus rei, & modò ad numerum, modò ad tempus, modò ad fundamentum refertur.

2. Vox *Principii* sumitur vel Negativè aut Privativè, vel Positivè. *Illo modo* accipitur pro negatione prioris. Sic principium appellatur qvodvis primum & initium, qvod negat antecessionem alterius. *Sic iste filius dicitur primus, ante qvem non est natus alius, etsi nullus porrò post ipsum nascatur. Ita primogeniti dicebantur in Vet. Test. Exod.* 13. *v.* 1. *&c. Sic Christus qvoad humanam naturam dicitur primogenitus Mariæ.* *Vox Principii.*

Positivè Principium acceptum est, qvod ponit aliud post se, adeoqve dicit respectum anterioris cum ordine qvodam ad posterius: Ut primus in ordine aliis succedentibus.

3. Ut autem Primum, ita etiam Principium est vel simpliciter tale, vel secundùm qvid.

Principium absolutè dictum.

Principium absolutè dictum est, qvod simpliciter est primum, ita ut ipsô non detur prius. *Sic Deus est principium omnium rerum. Arist. lib. 3. de part. Anim. cap. 4. lib. 8. Phys. cap. 6.*

Principium secundùm qvid.

Principium secundùm qvid dicitur, qvod in certo genere, vel in certo ordine est primum. *Sic Autor alicujus rei dicitur principium.* Sic Imperator est primus in Imperio Romano, Consul in Senatu.

Principium qvid, l. 4. Met. cap. 1.

4. Aristoteles ita definit: *Principium est id primum, unde aliqvid aut est, aut fit, aut cognoscitur, lib. 4. Metaph. cap. 1.* Rectiùs ita: *Principium est id, à qvo aliqvid procedit.* Thomas Aqvinas addit, *à qvo aliqvid procedit qvocunqve modo.*

Ubi notetur 1. Vocem *à qvo* sumi generaliter pro *Unde:* sicuti Aristoteles sæpè commutat vocem ὅθεν & ἀφ' οὗ, unde & à qvo. 2. Vox *procedendi* non sumitur strictè pro vera origine aut certo modo emanationis, sed latissimè *significat omnẽ modum, qvo aliqvid ad aliud conseqvitur.* Sumitur ergò pro qvacunqve consecutione & connexione. Cæterùm qvando additur illa particula, *qvocunqve modô*, tum illa intelligenda est de principio ut

sic,

sic, seu in suppositione simplici, ut loqvuntur Summulistæ. In universum ita qvivis modus consecutionis & conjunctionis indigitatur.

De variis Principii distinctionibus.

Principiorum distinctiones.

Principia sunt multifaria, variéqve distinguntur. *Arist. lib. 2. de Gener. animal. cap. 6.*

Principia enim vel πρώτως & propriè dicuntur, vel δευτέρως, secundùm aliqvam similitudinem & analogiam.

6. *Principium primariò sic dictum est primum, unde aliqvid pendet in esse, vel cognosci.* Est ergò duplex, vel essendi Principium, vel cognoscendi.

De Principiis Essendi.

Principia essendi.

7. *Principium essendi est, à qvo aliqvid fit, aut habet, ut sit.* Vocatur essendi principium, qvia ab eo dependet *esse alicujus*, & confert ad essentiam rei vel producendam, vel constituendam, vel conservandam. Aliàs vocantur *Incomplexa principia*, cùm sint res simplices, ut materia, forma, efficiens.

8. Principium dicitur qvod vel qvo: Principium qvod est totum compositum, vel suppositum, ut: Sol, homo, Medicus. Principium qvo est id, qvo mediante

aliqvid fit: qvale est totius pars, vel accidens, vel instrumentum.

De Principiis cognoscendi.

Principia cognoscendi.

9. *Principia cognoscendi sunt rationes inferendi, ex qvibus tanqvam per se notis innoteſcit aliqvid.* Dicuntur cognoscendi principia, qvia ad cognitionem faciunt, & sunt aliqvid prius in cognitione, è qvo dependet alterius cognitio. Sic notiora, ex qvibus aliud ignotum intelligitur, vocantur principia cognoscendi. Ut sunt omnia axiomata: Totum est majus suâ parte: Causa prior est causatô, &c.

10. Principia cognoscendi sunt vel prima, vel orta, seu è primis educta. Qvæ divisio sumitur *ex Arist. l.1. Top. c.1.*

Prima principia cognoscendi.

Prima principia cognoscendi sunt, qvæ non indigent priore aliqvo ad sui cognitionem, sed ex se & per se intelliguntur, ut Axiomata & sententiæ, qvæ per se fidem merentur, v. g. Totum est majus suâ parte: Deus est colendus, Parentes sunt honorandi.

11. Sunt autem vel simpliciter prima, vel secundùm qvid, & in certo genere.

Absolutè & simpliciter prima principia sunt, qvæ prorsus non habent prius, ex qvo pro-

probentur, sed per se ex cognitione terminorum approbantur. Sic simpliciter primum est: Qvodlibet est, aut non est: Impossibile est, idem simul esse & non esse. Sic Deus dicitur prima veritas, & primum verum, qvia ex se & per se verax est: ideò qvicqvid Deus dicit, simpliciter & infallibiliter verum est.

12. *Principia prima in certo genere sunt, qvæ in certo scientiarum ordine non indigent aliô, ex qvo probentur, sed per se habent evidentem certitudinem.* Sic in Physicis est principium primum: Natura est principium motûs & qvietis. Qvicqvid movetur, ab alio movetur.

13. *Orta principia dicuntur, qvæ ex aliis notioribus educuntur:* Sunt particularia, qvorum veritas dependet ab universalioribus. Hæc ergò præsupponunt alia notiora, è qvibus cognoscantur.

14. *Cognoscuntur principia vel ex ratione, vel ex experientiâ.* De experientia *Aristoteles 1. Metaphys. cap. 5. ait*: Per experientiam ars & scientia efficitur. Sumitur autem 1. latè, *pro qvacunqve perceptione* alicujus singularis. Sic dicimus, aliqvem esse expertum vim veneni, &c. 2. Propriè & strictè sumitur *pro observa-*

tione multorum singularium, & ita ad generationem principiorum facit.

Experientia. 15. *Experientia est cognitio è multarum memoriarum de rebus iisdem collatione orta.* Duo enim requirûtur ad experientiam, 1. *Cognitio multorum singularium*, è multiplici memoriâ genita. 2. *Collatio eorundem singularium inter se*, ut ex sufficiente eorum similitudine habeatur similitudo eventorum. Vide Fons. Comment. in cap. 1. Metaph.

Ratio cognoscendi. 16. *Ratio est rei cognitio per principia notiora.* Ratio enim facit & parit scientiam è principiis notioribus, qvando ex illis aliud conseqvens deducit. Ut est *Inductio & Syllogismus.* Sed de principiis cognoscendi suo loco ex professo agemus in peculiari tractatu.

Principia per analogiam. 17. Porrò *Principia per analogiam & similitudinem sunt, qvæ in aliqvo ordine antecedunt sine ratione dependentiæ.* Huc pertinent illæ Principii acceptiones, qvando principium dicitur 1. *Omne id rei, à qvo qvid movetur*; uti est principium in magnitudine, motu & tempore. 2. *Qvodcunqve genere dignius est.* Ut Consul est principium Senatûs oppidani. Sic Rector est Principium Senatûs Academici.

3. *Omne*

3. *Omne id, unde qvod est facilius.* Sic principium doctrinæ dicitur in specie, qvando ordimur doctrinam, non à principio rei, sed unde qvisqve discit facillimè. 4. *Qvod ratione originis est primum.* Sic fundamentum est principium domûs. Hinc scilicet est, qvòd aliud principium dicitur in dignitate, aliud in ordine, aliud origine.

18. *Principium in dignitate est, qvod est nobilius & excellentius.* Ut: doctior indocto præstat.

19. *Principium in ordine est, qvod prius est in ordinatione rerum.* Ut qvi primum tenet locum. Hæc prioritas ordinis per se non infert dignitatem. Succedentes enim sæpè sunt æqvales, vel etiam præstantiores primô: ut si aureus nummus tertio loco poneretur, tamen dignior esset primô plumbeô.

20. *Principium originis est, à qvo tanqvam ex fonte emanat aliud*, ut mare est origo fluminum.

De Cognatis Principiorum, Prioribus & Posterioribus, Antecedentibus & Consequentibus.

Cognata Principiorum.

21. *Cognata Principiorum sunt Priora & Posteriora, Antecedenzia & Consequentia.*

Priora.

22. *Priora tot modis dicuntur, quot Principia:* Sunt enim quædam priora in essendo, & in naturâ, quædam in cognoscendo, quædam in ordine, quædam in dignitate, quædam in analogiâ.

Vulgò quinq; prioritatis modi enarrantur, juxta versiculum:

Tempore, naturâ prius, ordine, dic & honore,
Et causa effectu dicitur esse prior.

Scilicet priora sunt 1. tempore, 2. naturâ, 3. ordine, 4. honore, & 5. in causando.

Priora tempore.

23. *Prius tempore est, quod est vetustius & antiquius, adeoq; in duratione aliud antecedit.* Quod prius in rebus inanimatis vocatur πάλαιότερον, vetustius; in rebus animatis appellatur πρεσβύτερον.

Naturâ prius.

24. *Naturâ prius est, quod in naturali essendi ordine antecedit*, ut latius est naturâ prius angustiore, v. g. Animal est prius homine, vel, causa prior est causatô, ut Sol prior est luce, seu lumine.

25. Hoc

25. Hoc naturâ prius faciunt duplex: *Aliud enim est reciprocans, ἀντιστρέφον καὶ τὸ τοῦ εἶναι ἀκολούθησιν: aliud verò est non reciprocans, μὴ ἀντιστρέφον.* Illud, quia reciprocatur cum suo posteriore, etiam simul existit cum suo posteriore. Ut Sol simul in tempore est cum luce & lumine: Sed *hoc*, quia non reciprocatur cum suo posteriore, ideò etiam cum eo simul non statim existit: Ut animal ubi est, ibi non statim est homo.

Prius ordine.

26. *Prius ordine est, quod ante aliud subsequens est dispositum, situm & collocatum.* Ordo definitur Loci ratio, quâ quid præit vel sequitur antè vel retrò, vel dextrorsum, vel siniſtrorsum, vel surſum, vel deorsum. Sic exordium prius est narratione. In saltatione præsultor ordine prior est, quàm ὑποδεξιώτης, id est, qui secundum locum tenet in choreâ; & hic prior est, quàm τριβεξιώτης. Ad hunc modum pertinet etiam prius situ. Sic Misnia nobis prior est, quàm Bohemia.

Prius dignitate.

27. *Dignitate prius est, quod est melius & præstantius.* Sic virtus prior est divitiis. Aliàs quæ meliora sunt, illa ut plurimùm venerabiliora & honorabiliora dicuntur.

Prius in cognitione.

28. *Prius in cognitione est, quod est notius & facilius*: Ut sensibilia, quæ sensibus obvia sunt, priora dicuntur in ordine cognoscendi. Item concreta sunt notiora abstractis, effecta causis.

29. *Posterius facilè intelliguntur ex prioribus.* Posterius enim est, quod aliud insequitur, & præsupponit prius, vel in essendo, vel in ordine, vel in dignitate: Ut quod vilius est, dicitur dignitate posterius; Vel in cognoscendo, quod est obscurius, ignotius, aut difficilius. *Quot enim modis dicitur prius, tot modis etiam dicitur posterius*; nempè tempore, naturâ, ordine, & dignitate.

Antecedens.

30. *Similiter se res habet in Antecedentibus & Consequentibus.*

Antecedens vocatur, quod aliud in certo ordine antegreditur.

Consequens.

Consequens est, quod aliam rem insequitur. Utrumque vel necessarium, vel contingens, prout necessariò antecedit vel contingenter: itemque prout necessariò aliud insequitur, vel contingenter. Sic *Antecedentia necessaria* sunt, puericia respectu juventutis, Ver æstatis, flos arborum fructificationis. Similiter *Consequentia necessaria* sunt, quæ ad posi-

positionē antecedentis semper seqvuntur: Ut dies est consequens auroræ. In multis autem contingenter cohærent Antecedens & Consequens.

De Principiato.

13. *Principiatum est, quod ordinem habet ad principium.* Aliàs in communi usu principiatum dicitur, quod ex internis principiis exiſtit. Sic *Principia dicuntur actus ſuorum principiatorum.* In ſpecie principio ſecundùm magnitudinem, motum & tempus, opponitur ultimum magnitudinis, in quo eſt finis, ſeu terminus motionis & temporis. Princi-piatum.

AXIOMATA.

1. *Principium prius eſt principiato.* Quia illud primum eſt, ut ex naturâ principii conſtat: hoc verò eſt ſecundum, & poſterius.

2. *In Principiis non datur progreſſus in infinitum.* Quia per ſe ſubordinantur. Ergò tandem deveniendum erit ad primò primum, in quo, tanquam in ultimo, acquieſcimus, & ad cujus normam cætera dirigantur.

3. *Pendens ab alio principium primum judicari non poteſt.* Quia ſcilicet habet ſe

se prius, à quo dependeat, vel in esse, vel in cognosci.

4. *Mutatô principiô, mutatur principiatum, indeq; facilè mutantur ea, quæ ex principiis pendent*: Quia scilicet ordinem habet principiatum, sive id, quod pendet ex principiis, ad sua principia. Qui ordo variet, necessum est, variatis principiis. Aliàs in principiis essendi & cognoscendi hoc axioma luce meridianâ clarius est. Hinc sunt illa usu trita dicta: Datô unô inconveniente, infinita sequuntur. Item, parvus error in principio, fit magnus in fine. *Aristot. lib. 1. de cœlo, cap. 5. Plato lib. 2. de Repub. Item lib. 6. de Legibus, &c.*

5. *Principia essendi sunt etiam principia operandi*: hoc est: *Unde res habet, ut sit, indidem etiam habet, ut operetur.*

6. *Principia essendi sunt etiam principia cognoscendi.* Hinc Albertus Magnus in prædicabilibus ait: Principia, causæ, & elementa cognoscendi eadem sunt, quæ sunt principia essendi.

7. *Contra negantem principia non est disputandũ.* Scil. contra negantem principia cognoscendi, eaq; prima & communissima. 2. Contra negantem principia in sen-

sensus incurrentia. 3. Contra eum, qui negat apparatū omnium principiorum, & denique 4. Contra negantem principia specialia & propria alicujus disciplinæ, non est disputandum ex illâ disciplinâ, cujus negat principia. Interim ex superiori quadam cum illo agere possumus, aut si superioris negat, ad absurdum deducendus erit ejusmodi disputator. Summatim contra negantem principia non possumus disputare à priori in illâ disciplinâ, cujus negat, possumus tamen à posteriori.

Caput VI.

De Causa & Causato in Genere.

CAusa est principium rei cum influxu in esse ejus, *ut flamma fervoris in liquore fervente, aqua vaporum, atramentum literarum, pigmentum pulcritudinis.* Item causa est, quæ dat esse alteri, *ut opifex operi, motor motui, gignens gignendo, genitor genito. Vulgò ita describitur:*

Causa est principiū, quod importat influxum in esse causati. *Notes verò, qvòd causa ita influit in aliud, ut ei unicè & realiter*

det

det seu communicet esse, ut inde accipiat, habeatq; suum esse ut sit. v. gr. Sol dat diei ut sit, quia diem facit illuminando. Sic aqua est causa humectationis, sutor calcei, sartor est causa vestis, quam efficit. *Videatur Aristot. lib. 1. Metaph. cap. 3. item lib. 2. Phys. cap. 3. lib. 1. de Generat. Animal. cap. 1. lib. de Insom. cap. 2.*

Causæ quatuor sunt: Efficiens, Materia, Forma & Finis. v. g. *Artifex est causa efficiens artificii. pannus est materia vestimenti, albedo est forma albi, &c.* Vocantur quatuor causarum genera, uti è dicendis ordine constabit.

Primò autem in genere sciendum est de causis, quòd tales sint per se vel per accidens. v. g.

Causa per accidens.

2. *Musicus per se canit, homo per accidens. Arist. lib. 5. Metaph. cap. 2.* Item *lib. 2. Phys. cap. 5.*

3. *Causa per accidens est, ad quam præter vim & intentionem sequitur effectus ob aliud interveniens.* v. g. Si quis alium gladiô vulneraverit præter omnem spem & intentionem, eò quòd iste fortuitò intervenerit, tunc dicitur istius vulneris causa per accidens. *Confer. Aristot. lib. 8. Phys. cap. 4. text. 31. & lib. 1. post. Analyt. cap. 4. text. 34.*

4. Va-

4. Variè aliàs definitur: Soncinas in Metaphys. q.2. sic finit: *Causa per accidens.*

Causa per accidens est, quæ virtute non propriâ producit effectum. Sic quoque dicitur:

Causa per accidens est, quæ accidentariô modô ad effectum producendum concurrit. Ut aqua fervida calefacit, ferrum candens urit, aër frigefacit, homo *ædificat, facit statuam, veritas odium parit: ex malis moribus ortæ sunt bonæ leges.*

Nota: Dicitur per accidens aliquid fieri vel 1. *in genere moris*, quod præter intentionem agentis liberi contingit, vel 2. *in genere naturæ*, quod præter aut contra naturam causarum naturalium contingit.

5. Huc pertinent *Casus & Fortuna*: quæ enim casu & ex fortunâ fiunt, per accidens fiunt. *Aristot. lib. 2. Phys. cap. 5. lib. 4. Metaph. cap. 2.*

Requisita causæ per accidens sunt, 1. *ut influat in esse causati.* Ideò enim causa dicitur. 2. *Ut accidentario modo se habeat ad causatum*, sive ut causanti aliud quid accidentaliter attribuatur, sive præter naturam, sive præter intentionem. *Sic ambulans per accidens offendit ad lapidem*

&

& frangit pedem, cùm lapsus iste accidentaliter obveniat ambulanti & ambulationi. Sic contingit, ut ligna findens, sublatâ securi, stantem à tergo percutiat, ipsíq; vulnus infligat: qui quidem vera causa est illius vulneris, per accidens tamen, *cùm præter voluntatem & intentionem id fiat. 3. Ut rarum* aliquod contingat propter externum interveniens, *ut patet in casualibus & fortuitis eventis, v. gr. in thesauri inventione.*

Causa per accidens dicitur vel ex parte causæ, vel ex parte effectûs.

Causa per accidens ex parte causæ appellatur, quãdo ratio causandi accidentaliter est in ipso agente, sive in subjecto & supposito, *ut: homo per accidens dicitur pingere, scribere, canere, vel ædificare, eò quòd in ipso per accidens sit ars pingendi, scribendi, &c.* scil. pictor per se pingit. At subjectum illud, in quo accidentaliter est pingendi virtus, pingit per accidens.

Causa per accidens ex parte effectûs dicitur, quando ratio causandi accidentaliter sumitur ab eo, quod effectui accidit, *ut: fodiens agrum vel vineam per accidens invenit thesaurum. Sic piscatoris est per se piscari: at verò si huic piscationi appona-*

ponatur alius effectus, veluti extractio aurei tripodis, tunc hic effectus dicitur per accidens. Huc pertinent omnia effecta casualia & fortuita, utpote homicidia casu facta. *Vide Theoriam Transcend. & sub calcem libri, disp. de causis per accidens.*

De Causis per se.

6. *Causa per se est, qvæ effectum producit virtute propriâ.* Ut Sol illuminat, ignis urit, aqva humectat. Item: *Causa per se.*

Causa per se est, à qva directè pendet effectus, & à qva esse suum habet. Vocatur causa determinata. Sic homo producit hominem, leo leonem, pyrus pyra, artifex artificium.

Nota: Causa per se agit vel *in genere naturæ*, qvando suâ naturali virtute producit effectum, agitq; ad extremum suarum virium. Sic flamma per se urit, comburit stipulas, ligna; *vel in genere moris*, qvando liberâ suâ voluntate, propositô & studiô intendit effectum, *utpote si qvis ex vindicta & odio alterum offendat, lædat, percutiat, occidat. Sic incendiarius est causa incendii, combustionis ædium, &c.*

7. Causa per se est multiplex: Primò *alia causa est ordinaria, alia extraordinaria.*

Ordinaria causa. Ordinaria Causa est, qvæ consvetô & propriô modô agit. Aliàs ita describitur: *Causa ordinaria est, qvæ secundùm naturam istius speciei, in qva dicitur esse ordinaria, operatur.* Sic per ordinariam causam Sol semper movetur, oritur, & occidit.

Extraordinaria. 8. *Extraordinaria causa est, qvæ præter aut supra naturæ institutum agit, nec usitatum ordinem observat.* Sic extraordinariô modô fiebat, ut Sol in pugna Josuæ staret.

De Causa Prima & Secunda.

Causa prima. 9. Deinde alia causa est Prima, alia Secunda. *Illa* in ordine causarum est prima. Estq; partim suprema, partim proxima & immediata.

10. *Causa prima suprema est, qvæ est superior & prior omnibus, qvando à causis descendimus ad effecta,* hoc est, in ordine causarum est suprema ratione operationis, & productionis effectûs.

11. Estqve 1. ἁπλῶς *prima*, qvæ nullo respectu dicitur secunda, ut est solus Deus. Omnes enim reliqvæ causæ à Deo dependent in agendo, sed Deus à nullo. Igitur prima causa omnium rerum dicitur.

tur. 2. κατὰ τι *prima est, quæ certo respectu aut in ordine certo est prima:* Ut juxta Aristotelem cœlum & stellæ à Peripateticis nonnunqvam appellantur causa prima.

12. Causa prima, proxima & immediata est, qvæ primò tangit effectum, qvando ab effectu ad causas adscendimus, hoc est, qvæ proximè cohæret cum effectu, ut anima est prima causa vitæ. *Sic Aristoteles vult, ut demonstrationes fiant ex principiis & causis primis seu immediatis.* *Proxima.*

13. *Causa secunda est, qvæ subordinatur primæ, & in causando dependet à priore,* qvalis causa est creatura, ut homo generans hominem est causa secunda: item omnia agentia particularia sunt causæ secundæ, immò & astra & influxus cœlestes vocantur secunda causa, qvia à Deo, tanqvam à primo motore, dependent, juxta regulam: Causa secunda non agit, nisi mota à prima, nempe à Deo. *Secunda Causa.*

De Causa Universali & Particulari.

14. Porrò Causa est Universalis, vel Particularis.

Universalis. *Universalis causa est, qvæ modô generali & indeterminatô influit in effectum, adeoq; ex se non est determinata ad certum effectum,* sed ad plures diversissimos producendos simul concurrit. Tales causæ universales sunt DEUS, qvi est omnium rerum causa prima, Cœlum, Sol, Stellæ, influxus cœlestis.

Particularis. 15. *Causa particularis est, qvæ ad certum effectum est determinata,* ut: Pyrus dat pyra, malus poma, ex tritico crescit triticum, ex hordeo hordeum.

De Causa Remota & Proxima.

16. Porrò Causa est vel Remota, vel Proxima.

Remota Causa. *Remota causa est, qvæ aliis intervenientibus ad effectum producendum concurrit.* Sic Sol & homo generant hominem, ut loqvitur Philosophus. Sed Sol est causa remota, homo verò est proxima. Sic materia animalis est corpus organicum, & qvatuor elementa: illud est materia proxima, hæc dicitur remota. Sic forma mixti juxta Physicos est animalis forma remota. Sic fines subordinati sunt remotiores & propinqviores, ut remotus finis Medici est gloria DEI & salus Reipublicæ, sed proximus est sanitas.

17. Cau-

17. *Causa proxima est, qvæ proximè ac immediatè cohæret cum effectu. Vocatur immediata.* Estqve vel simpliciter talis, vel in suo genere. *Proxima.*

18. *Causa proxima in suo genere est, qvæ inter sui ordinis causas est proxima, & effectum maximè juvat, ἁπλῶς verò non ponit.* Sic locomotiva, spiritus, animal, organa, pedes, sunt causa ambulationis, homo est causa risûs.

19. *Causa simpliciter proxima est, propter qvam simpliciter & immediatè est effectus, adeoq; satisfacit qvæstioni propter qvid. Sic ortus Solis est causa diei & occasus noctis. Talis causa sæpenumerò est, cur nonnulli* abeant negotiationis vel pecuniæ acqvirendæ ergò. Sic interpositio terræ inter Solem & Lunam est proxima causa Eclipseos Lunaris.

20. Dehinc causa alia est Adæqvata, alia Inadæqvata.

Causa Adæqvata est, qvæ cum effectu suo recurrit, & ita æqvè latè patet cum effectu. Sic rationale est adæqvata causa risibilitatis & docilitatis. De hac causa verè dicitur: *Positâ causâ, effectus qvoq; concedendus est*: & contrà, *Sublatâ causâ, tollitur effectus.* Vocatur adæqvata, qvia ad- *Adæqvata causa.*

æquatur effectui, & totalem effecti rationem continet.

Inadæquata. 21. *Inadæquata causa est, quæ effectui est inæqualis, & cum eo non recurrit.* Vocatur non adæquata, quia non adæquatur effectui, nec totalem effecti rationem continet, sed tantùm partialem. Sic vinum calefacit, caro nutrit. Hisce causis sublatis, non statim tollitur effectus, cùm & aliæ possint esse causæ ejusdem effecti. Similiter corpus organicum est materia hominis, sed inadæquata, nec statim, posito corpore organico, ponitur homo.

22. Solet etiam causa distingvi *in Causam verè sic dictam, & causam sine qua non.* Quæ divisio est æquivoci in æquivocata, cùm illa, quæ vocatur sine qua non, propriè & revera non sit causa, sed saltem nomine sic dicatur.

Causa verè. 23. *Causa verè sic dicta est,* quæ reipsâ agit aliquid in effectu producendo, & est pars ejus rei, quæ constituitur: ut manus in pugna hominum, anima in viventibus.

Causa sine qua non. 24. *Causa sine qua non dicitur, quæ propriè nihil agit, nec est pars constituens, sed tantùm est quiddam, sine quo non fit effectus, quod-*

quodque si non adesset, agens impediretur, ideo, quia illud non accessisset. Sic Galenus remotionem puris vocat causam sine quâ non sanandi vulneris: Nisi enim prius removeatur pus, non poterit vulnus sanari. Huc referuntur *concursus, approximatio, & propinquitas agentis.* Item *justa sphæra activitatis.* Disputant quoque de figuris instrumentorum, v.g. *de quadratura aleæ, vel rotunditate pilæ, globuli, &c.*

25. Observes insuper, quòd juxta Aristotelem causæ sint conjunctæ vel simplices.

Conjunctas vocat, quando causa per se & causa per accidens connectuntur: Ut quando dico: Polycletus statuarius construxit statuam, Galenus Medicus sanat. *Conjuncta causa.*

26. Simplices autem vocat, quæ absolutè & simpliciter proferuntur: Ut, quando utramque causam seorsim pono & nomino. V.g. Polycletus construxit statuam, vel statuarius construxit statuam. Galenus sanat, Medicus sanat. *Simplices.*

27. Item: *Causa alia dicitur esse actu, alia in potentia.*

Causa in actu dicitur, quando jam actu

agit & producit effectum: Ut Studiosus scribens est actu causa scriptionis.

28. *Causa in Potentia* est, qvando aliqvid habet potentiam causandi, licèt actu nondum influat in effectum producendum: ut Architectus otiosus & qviescens.

De Causis Internis & Externis.

29. Deniqve Causæ dividuntur in Internas & Externas.

Interna causa. *Internæ sunt, qvæ essentiam effecti ingrediuntur*, & intrinsecùs concurrunt ad producendum effectum, ut materia & forma, in homine corpus organicum & anima, sunt Principia, qvæ essentialiter constituunt hominem, & dicuntur causæ internæ.

Externa. 30. *Causæ Externæ sunt, qvæ effectum extrinsecùs producunt, & extra essentiam effecti producti existunt.* Ut Efficiens & Finis. De qvibus ordine agemus in subseqventibus, nimirum in distinctis causarum generibus, qvæ sunt, Materia, Forma, Efficiens & Finis.

De Causato.

Causatum. 31. *Causatum est, qvod à causis esse suum habet*: ut mundus à DEO. Estq; vel operatio, vel opus.

Ope-

Operatio est actio in seipsa terminata, ut visio, ambulatio Græcis ἐνέργεια.

Opus est, quod post actionem relinquitur, ut domus. ἐνέργημα vocatur.

32. Aliàs causatum appellatur Effectum, Finitum, Materiatum, Formatum, prout dependet, & est vel ab efficiente, vel à fine, vel à materia, vel à forma.

CANONES.

I. Nihil est causa sui ipsius: scilicet positivè, ut semetipsum producat. Aliàs enim id, quod nondum est, ageret & generaret, quod est absurdum.

II. Causa prior est effectu, licet non semper tempore, tamen naturâ præcedit causa effectum, ut lux & lumen. Fruſtrà hîc objicit Bellarminus, quòd fides non sit causa justificationis, quia non sit prior justificatione. Confundit enim prioritatem temporis cum prioritate naturæ. Axioma datum saltem hoc dicit, quòd causa debeat esse prior effectu quoad naturam, non verò semper quoad tempus. Nam fieri potest, ut tempore simul sint causa & effectus: ut Sol & lumen tempore sunt simul, interim Sol est causa luminis. Sic omnis forma est

causa suorum accidentium propriorum, utpote anima voluntatis & intellectûs, & tamẽ tempore simul sunt. Sic etiam fides & justificatio sunt simul tempore, licet fides sit causa justificationis. Nam propterea remittuntur peccata, propterea justificatur homo, quia credit in Christum.

III. Sublatâ causâ, tollitur effectus. scil. adæquata & primaria. Deinde intelligitur effectus quoad fieri, hoc est, non amplius fieri potest effectus ab illa causa, quæ non est amplius. Ridiculi ergò sunt Pontificii, quando dicunt, quòd in Baptismo penitùs tollatur peccatum originale, ita, ut amplius non sit in homine, & tamen non possunt negare, quòd in homine post Baptismum sint effectus peccati originalis, uti sunt varia peccata actualia.

IV. Qualis causa, talis effectus. Intellige 1. in causando & producendo effectu. *Sive secundùm influxum in esse effecti.* 2. Causam univocam, quæ est ejusdem essentiæ cum effectu. 3. Essentialia, non accidentalia attributa. 4. In æquivocis causis intelligas bonitatem generalem, nem-

nempè quòd causa bona producat effectum isti bonitati respondentem: Ut bonus sutor producit bonum calceum. Sic bonus artifex efficit bonum artificium: Sic pius homo, adeoque bonus, moraliter habet bonos mores.

V. Posità causâ, ponitur effectus: nempè 1. proximâ in actu. 2. sufficiente. 3. non impeditâ. Sic positô igne in actu comburendi, sequitur combustio, scilicet res comburitur, nisi fortè impediatur ob aliud externum interveniens.

VI. Nihil est in effectu, quod antea non fuerit in suis causis. Ratio est, quod enim causa non habet, non potest alteri communicare. E. quicquid accepit effectus à causa, in possessione causæ fuerit idem, oportet. Intelliges autem axioma: *1. De perfectione Effectûs, non de imperfectione*, ut sensus sit: *quicquid perfectionis est in effectu, illud etiam fuit in causa.* 2. Intelliges in esse non semper *actualiter*, sed *potentialiter*, ita, ut quicquid est in effectu, id antea fuerit in causa, vel actu, vel potentiâ, ut sit sensus: *Nihil est perfectionis, quod antea non fuerit in causa, vel formaliter, vel virtualiter, eminenter & analogiâ quadam.* Sic Sol est causa caloris: interim tamen

tamen formaliter, vel subjectivè Sol non est calidus. Actu enim in se non habet calorem, sed virtualiter est calidus tantùm, eò quòd calorem virtute suâ in aliis corporibus elementaribus queat producere.

Caput VII.

De Materia & Forma.

1.

Quatuor sunt causarum genera, efficiens, materia, forma & finis, quorum duæ sunt internæ, reliquæ externæ. Causæ internæ sunt materia & forma, uti constat ex dictis *cap. 6. n. 29.*

Materia. *Materia est id, ex quo quippiam fit eô pactô, ut insit.* Ut ex corio calceus, ex auro annulus. Vocatur internum principium passivum, item pars materialis.

2. Vulgò Materia est triplex, in quâ, circa quam, & ex qua.

Materia in qua. *Materia in qua est subjectum, in quo est aliud*, ut accidens est in subjecto. v. g. albedo in pariete, humor in aqua, calor in igne. Sic tabula est materia in qua nigredinis, quæ hæret in tabula. Sic anima dicitur materia in qua voluntatis & intelle-

tellectûs. Sic omnis subſtantia eſt materia ſuorum accidentium.

3. Materia circa quam eſt objectum, circa quod occupantur alia, ut agens verſatur circa rem tractandam, v. g. ſutor circa corium occupatur in producendo calceo. Sic viſui objiciuntur viſibilia colorata, lucida & illuminata. Sic Deus eſt materia circa quam precum piarum. Sic materia, circa quam verſatur ſartor, eſt pannus, aut aliud, ex quo fit veſtis. *Materia circa quam.*

4. Materia ex qua eſt principium internum, ex quo fit & conſtituitur materiatum. Sic ex farina fit panis; ex ære ſtatua. Lignum eſt materia menſæ. Et hæc eſt propriè dicta materia. *Materia ex qua.*

De Materia Primâ & Secundâ.

Materia in Scholis Philoſophorum haut inſcitè dividitur in primam & ſecundam.

Materia prima eſt ſubjectum primum, ex quo corpus naturale primò componitur. *Talis eſt materia cœleſtis & elementaris, puta cœli*, ſtellarum, elementorum, ignis, aëris, aquæ & terræ. *Vocatur* prima, quia 1. priorem non habet; nec 2. orta eſt ex priore. 3. eſt pars materialis primorum corporum. 4. eſt primum internum principium, ex quo corpus

pus naturale primò componitur. 5. est primum subjectum passionum & mutationum in corporibus elementaribus. *E. revera est prima materia, & jure sic nuncupatur.*

Eadem vocatur *& simplex materia*, quia non est composita, nec constat ex alia priore, simpliciumque corporum materia est. *Hæc profectò alia non est, nec realiter differt à materia prima, sed cum ea quoad rem ipsam, οὐσίαν, & substantiam eadem prorsus est. Sicut enim corpora simplicia & prima* eadem sunt *in communibus essentialibus partibus, sic quoq; eorum materia in natura generali essentialiter eadem sit, necessum est: Ita videlicet* una & eadem materia est in cœlo & stellis, *quæ vocatur &* simplex & prima. *Una eademq; materia est in elementis, quæ itidem* tàm prima, quàm simplex *appellatur.*

Denominatio distincta est, non ipsa rei essentia, seu substantia. Utraque est substantia, *eaq; in prædicamento substantiæ absolutè considerantur sine respectu ad accidentia, ad quantitatem vel qualitatem, num quanta vel qualis sit:* Utraq; est pars substantialis primorum & simplicium corporum, *cœli, stellarum & elementorum.*

Utra-

Utraque est subjectum primum, *ex quo corpora naturalia primò componuntur & constituuntur*: Utraque denique est subjectum mutationum & passionum, quæ in corporibus simplicibus & elementis fiunt.

Vulgò materia prima sic describitur:

Materia prima est primum subjectum uniuscujusque, ex quo in existente aliquid fit, & si quid corrumpitur, in idem illud resolvitur.

Sed hæc definitio universalis non est, nec adæquata, nec loquitur de omni materia prima, sed particularis est & inadæquata, *quæ tantùm loquitur* de materia elementari, *nec est primaria definitio, sed secundaria: Et talis quidem*, quæ non primarium, sed secundarium *materiæ primæ* officium sive usum *declarat. Hæc ergò popularis & vulgata descriptio* veritati sive existentiæ materiæ primæ nihil derogare potest.

Rectè scribit celeberrimus & optimè meritus Philosophus & Theol. *D. Jacob. Martin. lib. 1. Exercitat. Metaph. 4. Theor. 3.* nec non gravissimis rationibus demonstrat, negantes materiam primam non posse tueri nomen eruditi viri. *Materia*, inquit, *prima est, quæ simpliciter est mate-*

materia & nullô respectu compositum; Est ds mensura secundæ. Hanc materiam qui negat, docti viri nomen nunquam tuebitur. Confertur Excellentiss. D. B. Meisnerus in Sobr. Philosoph. sect. 3. quæst. phys. 2. Item B. D. Daniel Sennertus incomparabilis Physicus & Medicus in præclaro illo de Chymicorum cum Aristotelicis & Galenicis consensu & dissensu libro cap. 7. pag. 71. & seqq. nec non in ultimo scripto Hypomnem. 1. cap. 6. & 6.

6. Materia secunda est, quæ habet priorem, adeoq; est compositum quoddam. *Sic elementa sunt materia mistorum corporum. Sic aqua est materia nubium, lignum est mensæ vel scamni materia. Sed hæc est corpus certâ formâ determinatum, quod in ordine ad aliud dicitur materia, quatenus ita dispositum est, ut ex eô possit aliquid fieri. v. g. ex panno vestis.*

7. Materia secunda est vel Transiens, vel Permanens.

Materia transiens est, quæ in generatione compositi ita mutatur, ut aliam formam induat, & pereat. Et hæc vel in totum transit, vel ex parte, prout transmutatur totum vel pars ejus. *Sic*

ex

ex ovo fit pullus, ex vino acetum, ex farina fit panis, ex semine eqvi fit eqvus.

8. *Materia permanens est, qvæ totam essentiæ suæ naturam & integritatem retinet, illamq; ad constitutionem compositi, tanqvam partem essentialem, confert.* V. g. ex ære fit statua, ex auro annulus. *Permanens.*

De Materia Productionis & Compositionis.

9. Deinde Materia alia est Productionis, & alia Compositionis, seu Constitutionis. Videatur Manuale Physicum. *Materia Productionis.*

Materia Productionis est, ex qva aliqvid fit & producitur, ut ex semine fit corpus. Vocatur etiam materia generationis.

10. *Materia Compositionis est, ex qva constat materiatum,* ut homo ex organico corpore. Vocatur Materia Constitutionis. *Materia Compositionis.*

De Materia Essentiali & Accidentali.

11. Materia Accidentalis est, ex qva per accidens fit aut constituitur materiatum, *ut ex ligno cantharus, ex panno vestis, ex auro annulus, ex argento poculum.* Hinc fit Ens per accidens in genere causæ materialis, *qvale est mensa lapidea, poculum*

lum argenteum. Vid. supra lib.1. cap.2. de Ente per accidens.

12. Materia essentialis est, ex qva per se constituitur materiatum, *ut ex elementis mista corpora, ex aqva nubes, ex carne boves, oves, aves, pisces, &c.* Vocatur Ens per se in genere causandi.

De Forma.

Forma. 13. *Forma est, qvæ dat esse rei.* Item, *Forma est causa interna, per qvam res constituitur in suo esse,* ut: in homine est anima rationalis.

14. Vulgò forma alia dicitur Informans, alia Adsistens.

Informans. *Forma Informans est, per qvam res est id, qvod est.* Hæc enim propriè est forma rei, cùm illa Adsistens saltem ita dicatur per analogiam.

Adsistens. 15. *Adsistens forma dicitur, qvæ motum & operationem alicujus rei dirigit, ipsam verò essentiam non ingreditur:* ut auriga est forma adsistens eqvorum, Præceptor discipuli.

De Forma Essentiali & Accidentali.

16. Est autem Forma vel Essentialis vel Accidentalis.

For-

Forma essentialis est, quæ ipsam essentiam rei constituit, & unum ens per se facit, ut anima in animato corpore. *Forma essentialis.*

17. *Accidentalis forma est, quæ accidentaliter essentiam rei determinat, & cum ea unum ens per accidens constituit:* ut, eruditio est forma hominis, albedo parietis: scilicet per eruditionem homo fit eruditus, per albedinem paries est albus.

De Forma Physica & Metaphysica.

18. Deinde Forma est vel Physica, vel Metaphysica.

Forma Physica dicitur, quæ est altera pars compositi in materiam recepta. Qvalis est forma informans. Vid. Manuale Physicum. *Physica Forma.*

19. *Forma Metaphysica est ipsius rei qvidditas & essentia tota,* ut humanitas. Hæc dicitur forma, qvia rem per seipsam formaliter constituit. *Metaphysica Forma.*

20. Solet insuper Forma distingvi in Genericam & Specificam.

Generica Forma vocatur, quæ dat actum imperfectum, & cum potestate conjunctum, ut forma animati. *Generica.*

21. *Specifica Forma est, quæ dat ultimum actum* *Specifica.*

actum essendi & existendi, adeoq; speciem perfectam constituit. Hæc est propriissima Forma, ut anima rationalis in homine.

CANONES.

1. *Materia & forma sunt principia simul existentia.* Qvicqvid enim habet materiam, idem habet & formam.

2. *Materia per se indifferens est.* Scilicet est communis massa, qvæ eadem est in pluribus. Ergò per se non est causa differentiæ specificæ.

3. *Forma dat esse rei.* Item, *Forma est ratio qvidditatis. Forma specifica rei dat esse proprium ac definitum.* Etenim rem constituit in indeterminato Entium gradu, eamq; in certâ specie collocat. Hinc vocatur λόγος τῆς οὐσίας.

4. *Positâ formâ, tria ponuntur*, esse rei, distinctio & operatio. Primùm enim forma rem constituit in esse. Deinde eam distingvit ab aliis rebus, & tertiò operationes producit, ut in homine facit anima rationalis.

5. *Unius rei unica est forma*: Scilicet specifica & totalis. Aliàs aliæ plures adesse possunt, sed illæ non funguntur officiò formæ, cùm potiùs rationem materiæ habe-

habeant, vel etiam accidentaliter inexistant, ut in Physicis docetur fusiùs.

Caput IIX.

De Causis Efficientibus.

1.

CAusæ Externæ sunt Efficiens & Finis, uti suprà præoccupavimus *capite 6. section.* 30.

Causa Efficiens est, à qva primò fit actio, *Efficiens Causa.*
Arist. l.5. Metaph. c.2. Item:

Causa Efficiens est, qvæ primò producit effectum per veram actionem. Ut: sutor efficit calceum, pictor picturam, architectus domum. Sic Deus est causa mundi, Sol diei. Dicitur efficiens ab effectione, ut agens ab actione.

Estq; vel per se, vel per accidens.

Communissima & generalissima divisio causæ est, qva alia dicitur per se, alia per accidens, qvæ etiam in causis internis, Materiâ & Formâ, locum habet, ut paulò antè notavimus in cap. antecedente 7. n. 11. 12. 16. πρώτως autem & præcipuè spectatur in causis efficientibus, ut haut obscurè patet ex iis, qvæ *supr. lib.2. cap. 6.* de causis in genere præ-

ſtruximus. Repetantur ea, qvæ illic propoſuimus.

De Cauſa Principali & minùs Principali.

Cauſa Efficiens dividitur in Principalem & minùs Principalem.

2. Dividitur in Principalem vel minùs Principalem, *ut prolixè Svaretz. diſp. 12. ſect. 2. n. 10. docet.*

Principalis Cauſa. *Cauſa Efficiens Principalis eſt, à qva directè & primariò dependet effectus, qvæq; in producendo effectu prædominatur.* Ut: Dux belli eſt primarius autor victoriæ: Sol diei, pictor picturæ. Artifex operis ſui. DEUS eſt primaria cauſa noſtræ ſalutis. Aliàs ita deſcribitur:

3. *Cauſa Principalis eſt propria & prædominans cauſa, à qva primò fit motus, qvaq; non agente, cæteræ cauſæ nihil producunt.* Obſerva, prædominantem dici *in ratione ac virtute cauſandi*, qvæ per ſe effectui proportionata eſt, ſive nobilior, ſive æqvè nobilis cum effectu. Non igitur indiget aliqvâ elevatione ad producendum effectum. Vocatur primarius autor, fax & tuba.

Minùs Principalis. 3. *Cauſa minùs Principalis eſt cauſa adjuvans, qvæ in agendo cooperatur cauſæ principali.*

cipali. Estq; vel Impulsiva, vel Instrumentalis.

Impulsiva Causa est, quæ principali inservit movendo & impellendo. Ut odium sæpè impellit hominem ad calumnias Hæc impulsiva & irritans causa partim est *Interna*, & προηγουμένη, intus movens, ut affectus, ambitio, libido, invidia: partim est *Externa* & προκαταρκτική, exteriùs movens, ut convitia sæpè sunt causa pugnæ & verberationis. Sic calamitas & miseria hominum est causa irritans, ob quam Deus sæpè nos liberet, mittatq́ve Servatorem. *Impulsiva.*

4. *Instrumentalis causa est, quæ à principali causa adsumitur, & elevatur in ratione producendi effecti, ut per illud efficiatur aliqvid ultra mensuram propriæ actionis.* Sic penna est instrumentum scribæ, malleus fabri, penicillus pictoris. Nota: *Instrumenti virtus est improportionata & insufficiens ad effectum producendum, ideò elevari debet in ratione causandi ultra mensuram propriæ suæ perfectionis & actionis, sicq; instrumenta dicuntur agere in virtute causæ principalis, & habent vim operandi juxta mensuram virtutis & elevationis principalis agentis. Vide atur Svaretz. d. l.* *Instrumentalis.*

n. 17. 18. Dicuntur qvoq; verbum DEI & ministri Ecclesiæ instrumentales causæ conversionis nostræ, longè aliter tamen, qvàm ut communiter sunt gladius, milites belli, canes venationis.

5. *Instrumentum* est vel *necessarium*, *ut* oculus ad videndum, auris ad audiendum, pedes ad ambulandum: vel *arbitrarium*, ut eqvi ad iter.

De Efficiente Naturali & Voluntaria.

6. Porrò Causa Efficiens est vel Naturalis, vel Voluntaria.

Causa naturalis est, qvæ propriâ & naturali suâ vi absq; ulla deliberatione effectum producit. Ut ignis urit, magnes trahit ferrum, aqva humectat.

7. Hæc causa naturalis semper eodem modô agit & necessariò.

Est enim determinata tùm ratione effecti, tùm ratione modi agendi. Sic calor semper calefacit, ignis naturaliter adscendit, lapis naturali necessitate descendit. Tales causæ naturales sunt omnia corpora rationis expertia, ut elementa, metalla, plantæ, arbores in fructificando.

8. Ob-

8. Observes autem, quòd *causarum naturalium actio* sit vel Directa, vel Reflexa, vel Reactio & Resistentia. *Actiones naturalium causarum.*

Directa est, quando causæ naturales in oblatum objectum rectà feruntur excitatæ vi propriâ, nec ab externo quodam obstaculo repulsæ. Sic ignis comburit stipulas. *Directa.*

9. *Reflexa* est, quando agens in directa actione impeditur, & originem suam cogitur repetere: quod fit, quando agens à contrariis qualitatibus quasi obsidetur, metu illarum vires colligit, & ita fortiùs contranititur. Sic hyeme calor ventriculi intenditur ex *ἀντιπερίστασει*. *Reflexa.*

10. *Reactio* est retributa quædam mutatio, quâ id, quod patitur, renititur adversus agens, & licet agenti sit subjectum, vindicat tamen se, & aliquo modo agens immutat, ut hâc ratione & agens pati, & patiens aliquo modo agere dicatur: Ut aqua quidem ignem extingvit, sed tamen ex eo calorem contrahit. *Reactio.*

11. *Resistentia* est agendi modus, per quem non admittitur vel recipitur à patiente effectus introducendus: scil. privativa. *Resistentia.*

Voluntaria causa.

12. *Causa voluntaria est, quæ agit tum deliberatione liberè, & ex appetitu rationali.* Estque potissimum in naturis intellectualibus: Utpote in homine & Angelis, etiam in Deo. Sic homo liberè agit, ambulat, scribit, &c. Deus liberrimè creavit omnia. Sic pii liberè frequentant conciones, & summatim, quicquid homo agit ex appetitu proprio, illud, tanquam causa voluntaria, agit.

De Causa Efficiente per Transmutationem & Emanationem.

13. *Præterea causa efficiens est vel per transmutationem, vel per emanationem.*

Efficiens per transmutationem.

Efficiens per transmutationem dicitur, qui transmutando quasi, vel agendo in aliud producit aliquem effectum: quomodo per transmutationem arcularius efficit tabulam vel scamnum. Sic Sol producit ranas: Sic homo producit hominem, summatim, omnis generatio Physica fit per transmutationem Physicam.

Causa per emanationem.

14. *Causa Efficiens per emanationem est, à qua dimanat & fluit effectus sine mutatione.* Sic Sol est causa luminis in aëre, quia lumen quasi emanat ex Sole. Sic accidentia omnia (propria nempe accidentia)

tia) resultant naturaliter ex substantia, ut anima rationalis est causa efficiens intellectûs, voluntatis, docilitatis, risibilitatis, quia nempè hæc propria accidentia emanant ex anima. Sic materia dicitur causa quantitatis.

De Causa Solitariâ & Socia.

15. De hinc Causa est vel Solitaria vel Socia.

Causa solitaria est, quæ sola principiatum habet in causando, ita ut sine alia ejusdem ordinis producat effectum, ut si quis solus absolvat opus: unus equus trahat currum, unus portet onus. Sic Christus est solitaria causa nostræ redemptionis. Esa. 63. sic à solo DEO dependet autoritas sacræ Scripturæ. Aliàs vocatur *Totalis* causa. *Solitaria causa.*

16. *Socia causa est, quæ cum aliis similibus effectum producit, adeoq; operam alterius requirit ad opus producendum.* Ut duo equi trahunt unum currum, vel plures portant onus. Vocantur causæ partiales. *Socia causa.*

De causa Univoca & Æquivocâ.

17. Efficiens causa alia est Univoca, alia Æquivoca.

Univo-

Univoca. *Univoca causa dicitur, quæ est ejusdem naturæ & speciei cum effectu.* Ut homo generans hominem, equus equum, leo leonem. Aliàs vocatur Formalis.

Æquivoca. 18. *Æquivoca causa est, quæ producit effectum specie diversum*, ut artifex facit artificium, architectus domum. Sic Deus est causa mundi, vinum inebriat. Vocatur *Virtualis* causa, quia per virtutem suam agit, nec est ejusdem rationis & essentiæ cum suo effectu. Sic frigus dicitur indurare.

19. Solet etiam causa dividi in Privativam & Positivam.

Hæc est, quæ realiter & positivè influit in effectum, ut sutor agit in corium producendo calceum.

20. *Illa*, privativa, propriè non influit in patiens, ut fit in defectibus v.g. in claudicatione, ibi defectus in organo est causa claudicationis.

21. Denique Efficiens causa alia est Perficiens, alia Adjuvans, & alia Præparans.

Causa Præparans. *Causa præparans seu disponens est, quæ alterando materiam disponit, aptamq; reddit ad formam recipiendam*: Ut qui lapides præparant ad ædificia, vel ligna exasciant.

22. Ad-

22. *Adjuvans causa est, quæ quidem sola nihil efficit, multum tamen confert ad effectum producendum*, ut calor uteri ad fœtum formandum. Adjuvans.

23. *Causa perficiens est, quæ ultimam perfectionem largitur effecto, ultimamq; formam introducit*: ut Architectus est causa principalis, à qua primò est effectus. Perficiens.

CANONES.

I. Omne agens agit propter finem. Item: Nullum efficiens temerè agit, sed propter certum finem. Nam Deus & natura nihil agunt frustrà.

II. Causa efficiens eodem modo se habens, semper idem efficit. Item, Idem manens idem semper agit idem: scilicet in omnibus idem quod est, producit eadem per se. At variatis saltem quibusdam conditionibus, etiam actiones variant.

III. Efficiens naturalis agit uniformiter. Rectè Philippus ait, *naturalis causa uno & eodem modo agit, etiamsi in diversis subjectis videntur dissimiles effectus.* Sic magnes tantùm attrahit ferrum, non abigit. Ignis calefacit, non frigefacit: scilicet causa naturalis necessariò agit, & determinata est ad unum, agit sine actionis

nis dilatione,& sine actionis moderatione , agit ad extremum suarum virium. Sic ignis,quantum potest,urit & comburit ligna.

IV. Voluntaria causa potest cessare & agere dissimiliter. Est enim indifferens ad agendum & libera. Sic faber aut ædificat aut non ædificat,& cùm vult , facit molem quadratam aut rotundam. Hinc voluntaria causa agit *cum certa moderatione*, ut homo sitiens potest sibi imperare, ut ne nimium bibat,quando bibit.

V. Causæ sociæ stant pro unâ. Copulantur enim in uno causandi modo, ut mas & fœmina in conjugio sunt una causa liberorum.

VI. Efficiens principalis non excludit instrumentalem. Potiùs utitur instrumentis. Sic & Christus salvat, & Baptismus salvat. Sic animal videt,& oculus videt.

VII. Instrumentum extra usum nihil est. Tota enim vis & essentia instrumenti consistit in usu, cui si aptum non est, ne nomen instrumenti meretur. Sic penna, quæ usum prorsus non habet, ne quidem censenda est talis. Sic malleus extra usum suum debitum nihil prodest.

CAPUT

Caput IX.

De Fine.

1.

Finis est causa externa, cujus gratiâ res est. Item: *Finis est, propter quem agit efficiens, illumq; suâ actione intendit.* Sic eruditio est finis Studiosi. Sic calcei finis est munire pedem: Sic gallina incubat ovis, ut pullos excludat, *arbores crescunt, ut fructificent.* Vocatur etiam Causa Finalis. *Finis.*

2. *Finis est vel Principalis, vel Secundarius. Principalis finis est, qui primariò intenditur, & ad quem omnia opera tendunt.* Sic generationis finis est speciei conservatio: accretionis est perfectio crescentis. Finis principalis studiorum est honor Dei, Ecclesiæ & Reipublicæ salus, bellorum est pax. *Principalis Finis.*

3. *Estq; vel simpliciter principalis & ultimus, vel secundùm quid & in certo genere,* qui & *intermedius & subordinatus* vocatur. Utpote in Moralibus actionibus sive in Ethicis ultimus finis est beatitudo & felicitas practica: in Republ. salus populi.

4. *Finis simpliciter principalis & ultimus est,*

est, qui nullum prorsus alium finem habet, ad quem referatur, sed ultimò terminat actionem agentis. Sic gloria DEI est principalis & ultimus finis omnium nostrarum actionum. Cœlum & terra enarrant gloriam Dei.

5. *Finis principalis in certo genere est, qui ordinatur in ulteriorem finem.* Ut eruditio est finis Studiosi principalis, illa tamen dirigitur in salutem Ecclesiæ, aut Reipublicæ.

Secundarius Finis. 6. *Finis secundarius seu minùs principalis est, qui propter aliud intenditur, & ob aliud consequendum amatur.* Sic libros emere, lectiones audire, sunt finis Studiosorum. Aliàs vocantur *media ad principalem finem ducentia.* Sic medicamenta sunt finis Medici.

7 Deinde *Finis est* vel *cui*, vel *cujus.*

Finis cui. *Finis cui est usus rei in alio, cui finis procuratur.* Ut Medicinæ finis cui est ægrotus: Huic enim procuratur bonum medicinale.

Finis cujus. *Finis cujus est ipsa res, in quâ ratio boni invenitur.* Item:

Finis cujus est, cujus acquirendi gratiâ efficiens movetur & agit, ut sanitas est finis cujus in Medicina, calceus est finis sutoriæ. 8. De-

8. Deniq; alius Finis est, *qvi fit*, & alius, *qvi obtinetur*.

Finis, qvi fit, ille est, qvi non supponitur præexistens, sed per actionem agentis producitur, ut: in Medicina est sanitas, in arte architectonica est domus, in sartoria est vestis. *Finis qvi fit.*

9. *Finis, qvi obtinetur, ille est, qvi supponitur ante operationem agentis, adeoq; intenditur, non ut efficiendus, sed ut obtinendus.* Talis finis omnium rerum est Deus. *Finis qvi obtinetur.*

CANONES.

I. Finis est id, qvod maximè volumus. Est enim bonum illud, qvod ab agente intenditur, qvod sui amorem injicit efficienti ad effectum producendum, & cujus gratiâ agens agit. Loqvitur autem axioma *de fine primario*, ut sit sensus, qvod maximè vult efficiens, & potissimùm intendit agendo, illud ejus finis est primarius.

II. Finis est primus in intentione, & ultimus in executione. Primò enim movet efficientem ad agendum, qvi motus est amoris & desiderii: Indeqve appetitur finis, & per actionem intenditur, tandem, actionibus institutis & opere absoluto,

lutô, seqvitur, & habetur finis in actu: ut apparet in eruditione, qvæ est finis discentis. Hinc est *ultimus finis*, qvi terminat actionem: unde & sæpè coincidit cum effectu, ut sanitas Medici effectus est & finis.

III. In universum id melius est, cujus gratiâ sunt alia. Aristot. lib.1. Moral. cap.2. Item: *Finis, qvà finis, semper est prior & præstantior mediis.* Scilicet est prior in ordine intentionis, non productionis: est præstantior in perfectione causandi, non in dignitate essendi: Finis enim semper habetur carior in agentis intentione, & æstimatur pluris, qvàm ejus medium. Hinc finis non modò mensuram & ordinem præscribit mediis, sed etiam bonitatem & amabilitatem eis conciliat.

IV. Finis principalis non tollit accessorium. Item: *Finis minùs principalis non tollitur à principali.* Item: *Unius rei possunt esse plures fines, qvorum unus non excludit alterum.* Intellige fines subordinatos vel benè coordinatos.

V. Præsente fine, cessat actio. Item: *acquisito fine, cessat ratio causandi.* Finis terminat actionem. Intelliges *ultimum finem*:

nem: In hoc enim appetitus & actio efficientis terminatur. Scilicet habet, qvod voluit. Hinc est illud: *Finis est rei perfectio.* Non qvidem interna τελείωσις, sed externa, nisi qvatenus coincidit cum forma in opere facto existens. Qvod enim finis est in actione, non rarò est forma in effectu, ut patet in generationibus naturalibus.

VI. Ex ultimo fine æstimantur secundarii. Qvod enim in qvaqve re est primarium & præcipuum, id est mensura reliqvorum. Hinc sunt illa axiomata: *Finis secundarius ex ultimo accipit perfectionem.* Item: *Secundarius finis movet in virtute ultimi finis.* Ubiqve ergò debemus attendere finem ultimum, ceu præcipuum, aliàs non poterimus rectè intendere intermedios.

Caput X.

De Necessario & Contingente.

I.

NEcessarium est, qvod non potest aliter esse. *Aristot. libr. 4. Metaphys. cap. 5.* Ἀναγκαῖόν φαμεν τὸ μὴ ἐνδεχόμενον ἄλλως *Necessarium.*

ἄλλως ἔχειν. Necessarium dicimus, qvod non contingit aliter se habere. Idem inculcat passim *lib.de Interpret. cap.*13. *lib.*1. *Anal. post. cap.*7. *&c.*

2. Estq; vel Complexum, vel Incomplexum. *Illud* est in Ente complexo necessario, utpote in propositionibus necessariis, vel formaliter, *ut in Modalibus, v.g. necesse est, omnem Grammaticum esse doctum, &c.* vel materialiter, *ut in iis, qvæ dicuntur* κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ, & καθόλ. E. gr. *Necesse est, omnem hominem esse animal, vel corpus necessariò est qvantum, & omne qvantum est corpus.* Videatur *Aristot. in Anal. post. lib.*2. *cap.*4.

3. Incomplexum necessarium est in terminis simplicibus, immutabilitatem importantibus. Sic necessarium est illud, qvod non potest aliter se habere, ut in ortu Solis, Lunæ, in natura ignis, aqvæ, observare licet.

Nota: Necessitas rerum spectatur vel *in essendo*, seu in primo modo per se, ut Logici loqvuntur, uti homo necessariò est animal rationale, corpus necessariò constat ex materia & forma. Sic Angelus est spiritus. *Sic DEUS est essentia necessaria, & ita habet essentiam, ut non possit*

non

non habere illam: vel in afficiendo, *qvomodo affectiones propriæ necessariò insunt suis subjectis: ut, DEUS necessariò est justus, bonus, infinitus. Ignis necessariò est calidus, levis, homo necessariò est docilis, risibilis:* vel in operando, *qvomodo naturalia corpora necessariò certam habent operationem, ut: Sol necessariò illuminat, ignis necessariò calefacit, lapis descendit, pyrus dat pyra, pomus poma, levia per se adscendunt.*

De Necessitate Absoluta & Conditionata.

4. Necessarium Incomplexum vel est Absolutum, vel Conditionatum, *Aristot. lib. 1. de Partib. Animal. cap. 1. Necesitas,* inqvit, *non omnibus inest similiter, sed τοῖς ἀιδίοις perpetuis absolutè ac simpliciter: aliis verò caducis & generabilibus ex hypothesi, qvemadmodum in artificiosis, ut ædibus aut hujuscemodi aliis. Materiam enim talem adesse necessium est, si domus futura sit, &c. vide ibid. plura.*

Absolutum Necessarium.

5. Necessarium absolutum est, qvod in se & suâ naturâ est invariabile, *hoc est,* qvod ex sua natura ita est, ut non possit non esse, aut sic non esse.

6. Necessarium est Independens, vel Dependens.

Independens necessarium. Necessarium Independens est, qvod à se simpliciter est necessarium in essendo, & in attributis propriis: *qvomodo solus DEUS independenter est Ens, & absolutissimâ necessitate est justus, omnipotens, infinitus, independens, misericors.*

Dependens necessarium. 7. Necessarium absolutum dependens est, qvod in certo genere est invariabile & immutabile. *Quale est* in Creaturis, in qvantum illæ habent essentiam immutabilem specificam, *ut: homo necessariò est animal rationale, semper & ubiq;:* Item, *corpus est substantia, constans ex materia & forma, ita qvidem, ut necessariò omne corpus ita se habeat, qvia primitus ita est creatum: similiter* in qvantum Creaturæ habent accidentia propria, perpetua & immutabilia, *qvomodo qvantitas, mobilitas, vis agendi & patiendi necessariò inest corpori: Et deinde* in qvantum Creaturæ edunt certas operationes invariabiles, *ut aqva per se necessariò diffluit, ignis necessariò comburit objectum idoneum, omne grave necessariò descendit,* scilicet vi propriæ suæ essentiæ, & Physicâ necessitate. Notes verò ex *Aristot. libr. 4. Metaphys. cap. 5.*

cap. 5. qvorundam aliam esse causam, ut sint necessaria, qvorundam verò nihil, sed propter hæc esse necessaria alia. Qvare primum & κυρίως necessarium est, qvod simplex est.

De Necesſitate Phyſica.

8. Cæterùm Necesſitas Phyſica dicitur, qvæ est in rebus naturalibus, *qvando nempe* corpora naturalia ita se habent, vel ita agunt, ut aliter se habere non posſint. Et hæc necesſitas oritur ex dependentia effectûs à causa, ubi necessariò & invariabiliter effectus cohæret cum sua causa, qvæ eodem modô se habet semper, & constanter, ita ut ab ordine suo præscripto non facilè, neqve freqventer recedat. *Sic Sol semper movetur Necesſitate Phyſicâ, & qvidem semper eodem modô, nec potest non moveri, nisi virtute divinâ impediatur.* *Necesſitas Phyſica.*

9. Necesſitas Phyſica vel est ratione Efficientis, vel ratione Finis, vel ratione Formæ, vel ratione Materiæ, *ut prolixè docet Aristot. lib. 2. Phys. cap. 9.*

10. Necessarium à causa Efficiente est, qvando effectus perpetuò & indissolubili nexu cohæret cum efficiente: *qvomodò Sol necessariò efficit diem. Eclipsis semper & necessariò fit in Luna ob interpositionem*

tionem terræ diametralem. Glacies à frigore concreta necessariò resolvitur per calefactionem Solis vel ignis, ut & tempore hybernô aqva necessariò concrescit propter circumstans frigus vehementius.

Necessitas Finis. 11. Necessitas Finis dicitur, qvando aliqvid ad finem acqvirendum reqviritur. *Sic diligentia necessaria est in Studioso ad acqvirendam eruditionem: navigationes sunt necessariæ ad opes peregrinas apportandas: Christiano necessaria sunt exercitia charitatis ad ostendendam fidem suam: sic bellum est necessarium ad repellendos hostes, vel ad refrænandam contumaciam subditorum: Leges Politicæ sunt necessariæ ad conservandam justitiam & concordiam societatis humanæ.*

Necessitas Formæ. 12. Necessitas Formæ est, qvâ aliqvid propter formam immutabiliter se habet: *Ut, homo ob suam formam est rationalis, docilis, risibilis: Sic Spiritus ob suam essentiam immutabiliter est immaterialis, expers omnis qvantitatis, intellectu & voluntate præditus.*

Necessitas Materiæ. 13. Necessitas Materiæ est, qvando aliqvid inest immutabiliter propter materiam. *Sic homo est corruptibilis propter mistionem Elementorum; omne corpus est patibile*

tibile propter materiam, cùm inevitabili modò passio conjungatur cum materia.

De Necessitate Hypotheticâ.

14. Necessarium conditionatum sive hypotheticum est, quod non variat propter aliquam conditionem, vel hypothesin positam. *Conditionatum necessarium.*

Aliàs verò in se admixtam habet contingentiam. Non enim hoc propriè est Necessarium, sed potiùs in se est Contingens, quia ejus causa est mutabilis, vel quia illa hypothesis, ob quam sequitur, poterat se aliter habere. Erat enim in potestate, arbitrio & liberâ dispositione agentis & principii proximi. *Sic dicitur in Scripturâ, necesse est, scandala venire, non hoc absolutè est necessarium, sed propter aliquam hypothesin, quando nempè ponitur, mundum jam esse malum & immundum: Positâ enim malitiâ hominum, non possunt non insequi scandala; sed quia illa positio malitiæ est contingens, & potuit non esse, potiùs contingenter fiunt scandala, quàm necessariò. Similiter se res habet, quando dico:* Ambulans necessariò movetur. *Positâ enim ambulatione, non potest non moveri ambulans, interim quia illa hypothesis, ex quâ motio sequitur, est mutabilis, & homo*

liberè ambulat, ita ut potuisset etiam non ambulare: idcircò rectiùs dicitur, quòd ille ambulans contingenter moveatur, quia ex libertate & contingenter instituit ambulationem.

De Necessitate Consequentis & Consequentiæ.

15. *Huc pertinet nobilis illa distinctio, quâ dicunt, quòd* Necessitas *sit vel* Consequentis, *vel* Consequentiæ.

Necessitas Consequentis. Necessitas Consequentis est propriè dicta & absoluta necessitas, nempè est ipsius rei necessitas, quæ consistit in cohæsione immutabili effectûs & causæ, ubi tùm antecedens, tùm consequens est necessarium: *quomodo omnia illa dicuntur necessaria, quæ ex necessitate Physica fiunt, ut Sol movetur necessariò: Sole versante in primo gradu Arietis, necessariò fit æquinoctium vernale: Sic Saturnus necessariò frigefacit, Luna humectat, lapis descendit.*

Necessitas Consequentiæ. 16. Necessitas Consequentiæ est necessitas hypothetica, quando nempè ex certis positis infertur necessaria consequentia, *ut in Logicis ex certis præmissis pro re nata positis infertur conclusio ex necessitate consequentiæ: Ut si hæ ponantur præmissæ:*

Omnis

Omnis homo est lapis: Omnis arbor est homo: *hinc necessariò infertur talis conclusio*: E. omnis arbor est lapis. *Sed quia præmissæ sunt contingenter & ex libertate ita positæ, illud quod inde infertur, non poterit esse necessarium, nisi conditionatè & ex necessitate consequentiæ. Sic* qui furatur, necessariò suspenditur, *non quidem simplici necessitate, sed ob consequentiæ necessitatem, quando nimirùm non abstinet ab actibus furandi, cùm tamen in libertate ipsius positum sit, furari, vel non furari: quod si verò non mutet mentem furandi, necessario tandem pœna, strangulatio, sequitur. Sic necessum erat, Saulem interire ob causas antecedentes, quas quidem mutare poterat, sed non mutabat.* Sic quæ in mundo fiunt, DEUS necessariò præscit & prævidet, necessitate consequentiæ, *ut lapsum Adami præscivit & prævidit.* Quia verò iste lapsus Adami erat contingens & liber, adeò ut potuisset non fieri, ideóque illa necessaria DEI præviſio saltem est hypothetica, vel ex necessitate consequentiæ: *Quia enim futurus erat iste lapsus, necessariò DEUS illum præscivit: quia verò contingenter erat futurus, idcircò DEUS illum ita prævidit, ut liberè & contingenter futurum.*

Fru-

Frustrà ergo Calviniani hîc absolutam & simplicem fingunt necessitatem.

De Contingente.

Contingẽs. 17. Contingens est, quod potest se aliter habere, *ut in hominibus actiones sunt contingentes. Aristot. lib. prior. Analyt. cap. 12.*

18 Est autem Contingentia, vel Intrinseca vel Extrinseca.

Contingentia Externa. Contingentia Extrinseca est, quâ aliquid ab extrinseco principio mutari potest. *Ut quando agens impeditur in sua actione ob incurrentia obstacula, vel violentiam aut defectum. Sic in cursu naturæ contingentiâ extrinsecâ fiunt & generantur monstra.*

Contingentia Interna. 19. Contingentia Intrinseca nihil aliud est, quàm Libertas, & liberum arbitrium, quo agens potest agere & non agere. *Sic homo contingenter scribit, liberè frequentat lectiones. Sic in Angelis datur contingentia intrinseca, quia etiam liberè agunt, ex voluntate, ex libertate: imò etiam in ipso DEO talis est contingentia intrinseca, hoc est, Libertas, quomodo DEUS liberrimè omnia creavit, & adhuc conservat ex libertate.*

CA-

CANONES.

1. Omne Ens aut est necessarium, aut contingens. *Hoc patet: percurre saltem animô, quæcunque sunt in naturæ theatro, adinvenies, quòd quædam invariabiliter & indissolubili nexu cohæreant, semperq; unô & eodem modô fiant. Deinde verò similiter observabis, quòd alia quædam mutabiliter se habeant, & possint etiam aliter se habere. Illa dicuntur Necessaria. Hæc verò Contingentia.*

2. Quod fit naturæ ordine, necessariò fit. *Puta* necessitate Physicâ & simplici. *Quia nimirùm ordo naturæ est invariabilis, & semper se habet eodem modô, secundùm & quoad cursum naturæ.*

3. Ut pro causarum diversitate est diversa necessitas, sic etiam ex eadem est dijudicanda. *Quanta namq; & qualis est connexio causæ & effectus; tanta etiam & talis sequitur necessitas. Sic quando Physicè cohærent effectus & causa, etiam prodit necessitas Physica.*

4. Omnis necessitas & contingentia è causis proximis oritur. *Causæ enim remotæ non dant per se necessitatem & contingentiam, ut patet exindè, quòd possit aliquid*

liquid esse contingens, si maximè necessarius sit influxus causæ remotæ & universalis.

5. Necesitas & Contingentia non nisi ex causis proximis æstimanda. *Hæc enim quando necessariò & immutabiliter cohæret, jam inde orietur effectus necessarius. Si verò mutabiliter respicit suum effectum, saltem contingens erit: Interim fieri potest, ut influxus causæ remotæ & universalis sit necessarius.*

6. Simplex necesitas tollit omnem contingentiam. *Simplex necesitas dicitur*, quando aliquid simpliciter est necessarium, ob causam antegressam proximam necessariam. *Unde &* necesitas consequentis dicitur. *Item*, necesitas rei & causæ. *Hæc ergo verè opponitur contingentiæ. E. etiam tollet contingentiam, & quidem omnem eam, cui opponitur.*

7. Omne, quod est, quando est, necesse est esse: scilicet quoad actum essendi, *non ratione causæ antegressæ. Ut qui sedet, non potest non sedere, nempè illo actu, quando sedet, interim ex liberâ causâ sedet, ita ut potuisset non sedere.*

8. Entia ex hypothesi necessaria sunt & contingentia: *Non enim habent necesitatem, nisi ob aliquod antecedens, quod ita poni-*

ponitur: ut si ponatur aliquem loqui, necessario is dabit sonum, interim ex libertate contingenter loquitur.

9. Contingentia in rebus omninò est reliqua. *Philippus lib. 1. Phys. Licet enim necessitas detur in rebus, non tamen in omnibus; sed quoddam Ens necessarium, & quoddam est contingens: quemadmodum id contra fatum Stoicum variis fundamentis confirmari solet.*

10. Divina præscientia non tollit rerum contingentiam. *DEUS enim res præscit, uti in se sunt. E. quando contingentes sunt & contingenter futuræ, etiam à DEO ita præsciuntur. E. manent ipsa contingentes.* Eruditè scribit *Augustin. lib. 3. de lib. arbitr. cap. 3.* per præscientiam Dei non adimitur mihi potestas voluntatis, sed eò certiùs mihi aderit, quia ille, cujus præscientia non fallitur, affuturum mihi in illa actione præscivit.

11. Contingentiam & Libertatem rebus qui adimit, is DEUM peccati autorem constituit: *quippe tum fieret peccatum necessariò, adeoq; ex dispositione causæ primæ, quæ est solus DEUS.*

12. Libertas non omnem statim tollit necessitatem. *Tollit enim saltem coactio-*

actionis necessitatem, cui opponitur; non autem honestatis vel hypotheseos. Sic Studiosus liberè literis incumbit; attamen ibi intercedit necessitas honestatis & hypotheseos, ita ut ratione officii, mandati, debiti, promissionum, necessariò invigilet studiis.

Caput XI.

De Dependente & Independente.

Dependens.

Dependens variè sic dicitur. Nam & fructus arborum, poma, pyra, cerasa, &c. à ramis arborum, uvæ à palmite, palmites à vite, & radii, speciesque intentionales à suis subjectis, unde quasi egrediuntur, utpote à Sole radii solares, & posterius à priore, via à termino à quo, dies ab aurora Solis, aliaque similia plura dependere dicuntur. *Hîc verò paulò strictiùs sumitur, & ita definiri solet:*

Dependens est, quod prærequirit aliud in ordine præsupponendi, *hoc est*, quod ita postulat aliud, ut de se illô modô fieri aut esse, aut operari non possit, nisi illud in certo ordine præsupponatur

tur, v. g. lumen à lucido dependet, *dies à Sole, umbra à corpore*, radii à corporibus, unde sparguntur, effigies seu imago ab objecto, accidens à substantia. *Omnis creatura dependet à Creatore, & omnis effectus dependet à sua causa.*

Rectè Scotus ait:

Dependentia est ordo essentialis præsupponentis ad suum præsuppositum, sine qvo esse neqvit, ut patet in causis subordinatis.

De Dependentia Effectiva, Subjectiva & Fundamentali.

2. Cæterùm Dependentia est vel Effectiva, vel Subjectiva, vel Objectiva, vel Fundamentalis.

Effectiva Dependentia.

Dependentia Effectiva dicitur, *qvâ omnis effectus dependet à sua causa, ut actio ab agente, opus ab artifice, mundus à DEO, lumen à Sole.*

Subjectiva.

3. Dependentia Subjectiva est habitudo sive respectus accidentis ad suum subjectum, sine qvo planè esse neqvit: *qvomodo accidentia dependent à Substantiis: ut, qvantitas à corpore, vis urendi ab igne; voluntas & intellectus à Substantia immateriali, v. g. in homine, ab anima rationali.*

Objectiva. 4. Dependentia Objectiva dicitur, quâ dependet aliquid ab alio, tanquàm ab objecto: *ut Imago & effigies à rebus ipsis, quarum sunt imagines; species sensiles ab objectis sensatis. Adde, quod omnes habitus, omnes scientiæ & artes dependent à suis objectis, hoc est, ab aliis rebus, circa quas versantur, & quarum habitus & scientiæ sunt: ut Physica dependet à corpore; Pneumatologia à Spiritu; Theologia à Scripturâ, h. e. à Verbo Dei.*

Fundamentalis. 5. Dependentia Fundamentalis est, qua relata sive relationes dependēt à suo proximo fundamento: *quomodo Rex dependet à regno; Paternitas à generatione; Dominus à dominio, vel imperio dominandi.* Item, inferiores dicuntur dependere à superioribus, servus à Domino, discipulus à Præceptore.

Sed hæc populariter ita dicuntur: Præcipuè hoc loco illa intelligitur Dependentia, quæ est Effectiva, juxta quam omne causatum dependet à suâ causâ. *Et rectè dicitur, quod* Effectiva Dependentia requirat aliquod ante se agens, à quo sit vel fiat. *Sic ergo omnia, quæ sunt infra Deum, dependent à Deo.*

De

De Dependente in fieri, in esse, ac operari.

6. Hinc porrò Dependens dicitur vel in fieri, in esse, aut operari.

Dependens in fieri est, quod prærequirit aliud ad sui productionem. Sic omne causatum dependet à causa procreante.

7. *Dependens in esse dicitur, quod aliud prærequirit ad sui conservationem.* Sic vita hominis dependet à cibo & potu.

Dependens in operari est, quod aliud postulat ad suas operationes perficiendas. Sic arbores in fructificando & germinando dependent à calefactione Solis.

De Independente.

8. Independens Ens est, quod non eget priore ad suum esse, à quo dependeat, ut DEUS. Et quidem Deus simpliciter est Independens, & nullo planè modo dependet ab alio. *Independens.*

Aliàs κατά τι pro diversitate Independentiæ etiam Substantiæ dici possunt Independentia Entia, *nempè* Subjectivè, *quatenus non dependent ab alio, tanquam à Subjecto, licet dependeant ab alio, tanquam à causa. Item,* Accidentia absoluta dici possunt Independentia, ratio-

ne fundamenti, *qvatenus non dependent instar relatorum à fundamento relationis.*

Sed strictè loqvendo, Independens Ens accipitur pro eo, qvod est Independens à causis: *qvomodo solus Deus est Ens independens.*

AXIOMATA.

I. Omne dependens est ab alio, creatum & finitum. *Ratio: qvia hæc realiter & in re ipsâ conveniunt.*

II. Qvicqvid dependens est, habet essentiam numerô distinctam ab alio, à qvo dependet. *Qvando scil. propriè loqvimur de Ente dependente. Ratio est: qvia* unum idemq; numerô Ens à seipso dependere non potest absq; implicatione contradictionis. *Aliud enim debet esse Ens, qvod dependet, & iterum aliud, à qvo dependet. Hinc Photiniani nihil obtinent argumentantes:*

Qvicqvid est ab alio, est Ens dependens.

Filius & Spiritus S. sunt ab alio.

E. sunt Entia dependentia.

Fallit sophisma in terminis, & falsa est prima propositio. Filius & Spiritus sanctus non sunt distincta numerô essentia à Patre; sed una eademqve est essentia Patris, Filii & Spiritûs sancti. *Hinc limita-*

mitatur Major: qvicqvid est ab alio effectivè, est dependens: *jam negatur Minor*: qvia Filius est à Patre per modum originis, cùm interim una tantùm sit essentia divina prorsus eadem. *Sed hæc alterius fori sunt, & ad S.S. Theologiam pertinent.*

Caput XII.

De Eo, qvod est à se, & qvod est ab alio: Itemq; de Creato & Increato.

1.

Ens à se.

Ens à se dicitur, qvod non habet ordinem ad aliud, à qvo sit vel dependeat: *qvomodo iterum solus Deus est Ens à se.* Eruditè ait *Augustinus in Enchiridio cap. 9.* Nulla natura est, qvæ non sit aut Deus ipse, aut ab ipso.

2. Notant hoc loco, qvòd *præpositiones* A & Ab sumantur vel latè, vel strictè.

Latiùs sumuntur in genere pro qvavis habitudine rerum, qvæ cum ordine concipiuntur: ut ab aurora est dies. Qva de re videatur Combachius in lib. Metaphys. vel Theoria nostra Transcend. Sed hoc loco ter-

minus à se, vel ab alio strictiùs sumitur, & illud Ens dicitur esse à se, quod non dependet effectivè ab alio. Nam præpositio A vel Ab hîc tantùm designat habitudinem principii effectivi.

Ens ab alio.

3. Ens ab alio est, quod habet ordinem ad priùs, à quo est, & dependet in esse, hoc est, quod effectivè ab alio, tanquam à causâ, dependet: *quomodo sola & omnis creatura est à DEO. Dicitur quoque* Ens Participatum, quod aliunde participat suam essentiam & perfectiones. *Videatur Cyrillus Alex. lib. 1. in Johan. cap. 6.*

De Modo Essendi ab alio multiplici.

4. Modus Essendi ab alio est multiplex. Dicitur aliquid esse ab alio, 1. *localiter*, quod ab alio est, tanquam à loco, in quo fuerat, & à quo primùm sit translatum ad alia loca: Sic venti dicuntur esse ab ortu vel occasu. Sic pestes aut alia mala contagiosa dicuntur esse ab illâ urbe, in quâ primùm cœperunt, & exinde dimanârunt ad alias. Sic pluviæ dicuntur esse à cœlo, vel ab aëre. 2. *Originaliter* ab alio esse dicitur, quod ab alio habet originem, tanquam à suo principio.

cipio. Sic omne principiatum est ab alio. Sic proprietates rerum dicuntur esse à naturâ rei. Sic affectiones & modi Entis sunt ab Ente. Huc ergò pertinet generalis modus essendi ab alio, quo aliquid quovis modô oritur aut procedit ab aliquo. 3. *Effectivè* ab alio est, quod causatur, & ita dependet ab alio: ut effecta sunt à suis causis, fructus ab arbore.

AXIOMATA.

I. Nihil est, aut fit à se ipso. *Puta effectivè. Hoc enim implicat contradictionem. Si namq; aliquid semetipsum effectivè produceret, ut ita per realem & positivum influxum à se sit aut fiat; utiq; semetipsum actuaret, hoc est, produceret se è non esse in esse: & sic producendo ageret, antequam est, vel erit, quod apertè contradictorium.*

II. Ens à se dicitur, quod non est factum ab alio. *Scilicet negativè loquendo aliquid dicitur à semetipso esse, quod non sit ab alio, sive quod non habeat principium vel causam extra se, à quâ habeat esse suum. Sic DEUS à se esse dicitur: quia non habet causam aliam, à qua sit vel esse suum habeat.*

De Creato & Increato.

5. Huc pertinet Creatum & Increa-

tum, qvæ à modo creationis sic dicuntur.

Observes tamen, qvòd ex sententia Philosophorum aliqvid ab alio esse dicatur, vel *per creationem*, *vel per generationem.*

6. Duplex enim fiendi modus est, ut aliqvid fiat ab alio, vel ex nihilo, vel ex aliqvo præexistente subjecto. Qvod è puro nihilo fit, *creari*, qvod ex aliqvo præexistente fit, *generari* dicitur. Hinc illud, qvod ab alio est, vel creatum est, vel generatum, & ex aliqvo subjecto productum. Generatio enim præcisè solet opponi creationi.

Increatum. 7. Increatum est, qvod non est ab alio per creationem. *Vel, ut aliàs dicunt:*

Ens Increatum est id, qvod in se habet negationem omnis dependentiæ, ordinatum verò ad hoc, ut ab ipso omnia pendeant, qvæ sunt extra ipsum: *qvomodo iterum solus Deus est Ens Increatum: de qvo constat omninò, qvòd omnia creaverit, hoc est, è nihilo produxerit.*

Creatio. 8. Creatio nihil est aliud, qvàm productio Entis è non præexistente materiâ, ab infinitâ virtute facta. *Breviter:*

Creatio est productio rei ex nihilo.

Sic

Sic mundus est creatus, hoc est, ex nihilo factus. Ut verò *Deus, prima illa causa, omnia produxit primitus : ita etiam* suâ providentiâ omnia conservat. *Aliàs enim omnia in nihilum ruerent. E. omnia Entia infra Deum dependent à Deo, tùm* in fieri, *quòd per creationem à Deo sunt facta : tùm* in esse, *quod à Deo conservantur : tùm* in operari, *quòd ad operationes ipsorum unà concurrat influxus Dei. Quâ de re videantur ea, quæ in Pneumatic. docentur.*

9. Creatum Ens est, quod ab alio est per creationem. *Sic omne Ens infra & extra Deum, primitus quoad speciem à DEO est ex nihilo productum : Debinc verò & nunc, parentibus generantibus, Deus creat omnia, quæ fiunt in mundo, per causas naturales legitimè agentes.* *Creatum Ens.*

10. Generatum est, quod per generationem producitur ex alio, & in alio.

Generatio nihil aliud est, quàm productio rei ex alio præexistente in alio subjecto.

Quæ generatio πρώτως *quidem & communiter observatur in Physicis & materialibus rebus ;* δευτέρως *tamen & per analogiam etiam est in aliis, utpote in accidentibus*

& in Immaterialibus rebus, quæ de novo fiunt, nec tamen creantur. Sic datur generatio habituum in animâ hominis & in Angelis.

Hinc alia est generatio *Materialis*, quæ ex materiâ fit cum mutationibus & alterationibus variis, ut de generatione corporum disputatur in Physicis: alia verò generatio *Formalis, ut ita loquar*, quâ aliquid ex alio producitur sine motu & mutatione subjecti: ut ex animâ Parentum producitur anima infantis, dum homo generat hominem. Sic forma est sui multiplicativa, ut producendo ex se ipsâ similem formam multiplicet se ipsam in esse specifico, *utpote calor producit calorem.*

Huc pertinet Emanatio simplex, quâdo aliquid ab alio emanat, & ita ex illo producitur, ut lumen ex luce Solis generatur. Sic dicuntur accidentia propria emanare è suis subsantiis v. vis agendi è subsantiâ formæ.

AXIOMATA.

I. Quicquid creatum est, ab alio est & dependens est. *Quia nihil fit à seipso effectivè. Sic totus mundus à Deo dependet.*

II. Omne

II. Omne creatum est ab Increato. *Creatum enim dicitur, quod primò cœpit ex nihilo. Ex nihilo verò non potest aliquid producere, nisi id, quod à se est, & quod habet infinitam potentiam: ut est Ens increatum, quod non est ab alio in essentia & potentia limitatum vel finitum.*

III. Quod increatum est, à se sit, necessum est: *Quia à nullo est productum. Sic etiam essentia filii Dei dicitur esse à se, quia non est creata ab alio.*

IV. Increatum non est, nisi unum. *Quia increatum est omni modò independens, & perfectissimum & infinitum. At verò non possunt esse actu duo vel plura Independentia perfectissima, & infinita, ut cuilibet patet.*

Caput XIII.

De Finito & Infinito.

I.

FInitum Ens est, quod habet fines sive terminos essentiæ. *Finitum Ens.*

EXEGESIS.

Datur *Finitas non tantùm* in quantis, quæ finiuntur suis terminis, ut linea punctis atque extremis, numerus unitatibus includitur, via terminis à quo

&

& ad quem; Sed etiam Finitas datur in ratione Entis, ita ut Finitum Ens dicatur illud, quod est restrictæ, & per definitos terminos limitatæ essentiæ: *quomodò omnis creatura est Ens Finitum. Etiam Angeli habent finitatem essentiæ. Nam & hi, quia ab alio, nempè à Deo, sunt producti, certis inclusi sunt limitibus & terminis, extra quos vi suæ naturæ non excurrunt, ita ut neq; supra eos per statum propriæ essentiæ assurgant, neq; infra eos per naturam propriam descendant, uti ex finitæ & circumscriptâ eorum potentiâ & operationibus perquam notum est.*

2. Ens Finitum in essentiâ est quoque finitum in omnibus attributis: nempè finitur, restringitur & limitatur, *tùm* ratione virtutum, perfectionum & potentiarum, *tùm* ratione operationum, *tùm* ratione durationis, *tùm* ratione præsentiæ.

Finitum in virtute. 3. Finitum in virtute & perfectione est, quod habet fines perfectionum, sive finitas perfectiones: *quia* non sunt summæ, sed possunt dari eminentiores. *Sic perfectio Angelorum, ut & virtutes eorum, licet maximæ sint; tamen finitæ sunt, nec tantæ, quantæ sunt in Deo, tanquam in*

Ente

Ente infinito. Sic scientia Angelorum est finita, quia in aliquo scibili terminatur. Non enim omnia sciunt Angeli: utpotè nesciunt cogitationes hominum, futura contingentia. Sic etiam potentia Angelorum maxima quidem est; tamen finita, adeò quidem, ut sine permissu DEI, diaboli ne capillos capitis evellere possint. Sic etiam hominum perfectiones, virtutes, & potentiæ sunt finitæ.

4. Finitum in operatione est, quod non potest omnia producere, nec suâ operatione omnia assequi valet. *Sic iterum omnes creaturæ, Angeli, homines, corpora naturalia finiuntur in determinatis operationibus.* *Finitum in operatione.*

5. Finitum in duratione est, quod non est æternum, adeoque aliquando cœpit, indeque est, vel in ævo, *ut Angeli*: vel in tempore: *ut corpora naturalia initium & finem habentia.*

6. Finitum in præsentia est, quod habet fines præsentiæ, hoc est, quod non est ubique, sed certum occupat spatium, intra quod est, & non extra illud, sive sit in Ubi, *ut Spiritus*, sive in loco, *ut corpora sublunaria.*

De

De Infinito.

Infinitum.

7. Infinitum Ens est, quod caret finibus sive terminis essentiæ. Videlicet infinitum dicitur id, quod est extra finiri ab alio, propterea quod à nullo alio habet dependentiam, & sic à nullo alio est: *quomodo Solus Deus propriè est Ens Infinitum.*

8. Quippe qui tùm in essentiâ infinitus est, tùm in omnibus attributis & perfectionibus obtinet infinitatē. Nempè Deus est infinitus 1. Ratione potentiæ, *ita ut omnia possit, nec ejus vis terminetur in aliquo possibili: Sed extendat se in universum ad omnia, quæ absolutè possibilia sunt in ratione essendi, nec apertam involvunt contradictionem, nec defectum per se implicant: quâ ratione dicitur Omnipotens.* 2. Ratione Scientiæ, *ut Deus sit omniscius.* 3. Ratione Bonitatis, *ut sit infinitè bonus.* 4. Ratione durationis, *ut sit infinitè durans, hoc est, æternus.* 5. Ratione præsentiæ, *ut non habeat terminos præsentiæ; sed omnibus præsenter adsit, h. e. Omnipræsens.*

De Infinito actuali & potentiali.

9. Cæterùm Infinitum dicitur vel actu

vel

vel potentiâ, *ut Aristot. disput. lib. 3. Phys. cap. 6.*

Infinitum potentiâ statuitur quadruplex, nempè Motus, Tempus, Magnitudo & Numerus. Unde putant omne continuum esse divisibile in Infinitum. *Arist. lib. 3. Phys. cap. 6. Contrâ disputat Patricius in discus. Peripat. tom. 4. lib. 5.*

10. Aliàs vox Infiniti apud Aristotelem variè sumitur. Nam Infinitum dicitur id 1. *quod transitum nullum admittit*, cum non sit idoneum ad divisionem suscipiendam, hoc est, quod nec actu, nec potentiâ divisibile est, uti punctum. 2. Sumitur pro eo, *quod transitum quidem habet, sed ita, ut ad finem nunquam perveniatur.* Quod infinitum ejus est in quantis. 3. *Infinitum* dicitur, quod & transitum habet & finem, *sed vix & magnâ difficultate ad eum finem pervenitur.* Sic dicitur infiniti laboris esse Herculis laudes decantare. 4. Infinitum dicitur, quod ex se quidem terminum habet, sed *ad quem propter externa obstacula pertingi nequeat*, cujusmodi est profunditas maris. 5. Vocatur infinitum, *cui semper fieri potest accessio*, ut in numeris. *Videatur Arist. l. 3. Phys. cap. 4. & 5.*

AXIO-

AXIOMATA.

I. Quæ sunt alia Entia à primo Ente, finita esse, necessum est. *Quia scilicet dependent à primo, à quo esse suum derivârunt: ut omnia Entia infrà Deum, quia sunt à DEO, tanquam à primo Ente, finitam habent Entitatem.*

II. Finiti potentia non est infinita: Scilicet per se & ex se. *Ut enim se habet essentia rei, sic etiam necessariò se habent proprietates istius finitæ essentiæ. Aliàs effectus esset nobilior suâ causâ.* Intelliges *autem* axioma de finito, prout manet in suo statu naturali. *Scilicet* Entis finiti per se & suâ naturâ saltem finita est potentia. *Quando autem finitum elevatur* in gradum & statum sublimiorem, *tum non repugnat, quò minùs aliunde derivet potentiam aliquam excellentiorem,* imò & infinitam, *quando elevatur in statum supernaturalem, & conjungitur cum eo, quod suâ naturâ est infinitum.*

III. Duo Infinita nequeunt esse, neq; in naturâ, neque extra naturam. *Alias enim darentur duo prima, duo independentia, & duo æquè perfecta in omnibus perfectionibus, quod fieri non potest.*

CAPUT

Caput XIV.

De Corruptibili & Incorruptibili.

1.

Solent Autores Metaphysici Ens distingvere in Corruptibile & Incorruptibile, *ut prolixè exponit Combachius libr. Metaphys. cap.17. & exinde communiter alii. Qvorum vestigia olim in primitiis studiorum Philosoph. legere malui, qvàm turbare. Conferatur Scotus 3. sentent. d.22. Scal. Exerc.703. sect.20. Qvia verò omnis corruptio præsupponit mutabilitatem, & Incorruptibili prius sit immutabile, non sine causa* de mutabili & immutabili *agi posset: sed in nostris Tabellis Philos. eâ de re actum, ubi plura videantur.* Cæterùm mutatur aliqvid vel in melius, vel in deterius. Hoc corrumpi dicitur.

2. Corruptibile est, qvod potest mutari ab esse ad non-esse. Ens enim denominatur per corruptibilitatem, in qvantum habet potentialitatem ad non esse. *Scilicet in qvantum Ens mutari, & qvasi dejici potest è statu suæ entitatis, in tantum etiam in Scholis Metaphysic. dicitur & est corruptibile. Sic potissimùm corpora sunt* *Corruptibile.*

corruptibilia, sublunaria, elementa, mixta ex elementis, caro, &c. imò etiam suô modô per causam externam corrumpi, & in deterius mutari sive perdi, ut ita loqvar cum Philosophis, penitùs possunt Angeli, accidentali videlicet corruptione.

3. Corruptibile dicitur, vel ab Intra, ex principio intrinseco, vel ab Extra, ex principio externo.

Ab Intra Corruptibile.

4. Corruptibile ab Intra est, qvod in se plura concludit, ex qvibus est conflatum, adeoqve iterum in eadem resolvi potest. *Sic imprimis corpora mixta sunt corruptibilia: qvia enim ex Elementis sunt composita, idcircò iterùm etiam resolvi possunt in elementa. Sed & cùm in illis sint pugnantes, & contrariæ qvalitates, nempè calor, frigus, humiditas & siccitas; idcircò principium internum corruptionis in se habent, ita ut ob illa elementa omne mixtum corpus sit corruptibile. Sic nubes, glacies, nix, poma, carnes, facilè corrumpuntur.*

Corruptibile ab Extra.

5. Corruptibile ab Extra dicitur, qvod in se qvidem non continet principia transmutandi, & interitum molientia: tamen ita est affectum, ut ab alia vi externa qveat immutari & destrui. *Sic omne dependens est corruptibile, ut rectè docet*

cet Scaliger Exerc. 307. Sect. 20. *Sic etiam cœlum, astra, qvin omnes Spiritus finiti & creati sunt corruptibiles. Si enim Deus vellet, iterum Angelos destruere posset, & in nihilum redigere, qvemadmodum ex nihilo produxit. Ad qvos Plato in Timæo introducit Deum sic loqventem:* Opifex ego, & Pater sum. Qvæ à me facta sunt, me ita volente, indissolubilia sunt: omne siqvidem, qvod vinctum est, solvi potest. Qvapropter qvia generati estis, immortales qvidem & indissolubiles omninò non estis, nec tamen unqvam dissolvemini &c.

6. Corruptio est vel totalis, vel partialis. *Illa* est totius destructio, ut interitus, combustio, cinefactio, mors. *Hæc* est alicujus partis privatio, ut pedum vel manuum læsio.

7. Alia itidem est *corruptio essentialis*, & alia *accidentalis*, prout essentia rei tollitur, vel suis accidentibus spoliatur.

8. Incorruptibile est, qvod de esse ad non esse traduci neqvit: *qvomodo simpliciter Deus est incorruptibilis: qvia absolutè est Ens Independens.*

9. Qvod autem in melius mutatur, dicitur perfici, ut intelligendo, discendo, mutatur intellectus, & perficitur.

AXIOMATA.

I. Suâ naturâ omnia præter unum sunt corruptibilia. *Scalig. Exercit.*307. *Sect.*20. *Hoc est, omnia creata, præter Creatorem, possunt iterum corrumpi ab eo, à qvo dependent, hoc est, à Deo.*

II. Incorruptibile simpliciter est, qvod semper est. *Aristot. 1. de Cœlo cap.* 12. *Intellige, qvod ita semper est*, ut non possit non per suam naturam semper esse: *qvomodo solus Deus ab æterno fuit, semperq; necessariò est, adeoq; simpliciter est Incorruptibilis.*

Caput XV.

De Eodem & Diverso.

I.

HUcusqve de *immediatis affectionibus, seqvuntur* Mediatæ, *qvæ juxta communem Metaphysicorum nobiliorum doctrinam ex istis primis oriuntur, & imprimis Enti conveniunt, mediante Unitate, Veritate, & Bonitate.* Ex Unitate Entis *derivantur* 1. *Identitas & Diversitas. Unde Aristoteles lib.*4. *Metaph. cap.*9. ait: Identitas qvædam unitas est. 2. *Simplicitas & Compositio.* 3. *Totalitas & Partialitas.* 4. *Universalitas & Singularitas. Denique* 5. *Commu-*

municabilitas & Incommunicabilitas. De his ergò ordine. Primò agendum est de Identitate & Diversitate, itemq; de iis, quæ exinde sequuntur. Videatur Aristot. lib. 10. Metaph. cap. 3. &c.

2. Identitas est convenientia rerum in aliquo tertio, sive id sit essentiale, sive accidentale. *Identitas.*

Hic enim generaliter accipitur Identitas, quomodo etiam Similia & Æqualia dicuntur eadem.

Aliàs idem strictè *accipi solet* pro tali identitate, quæ dicit convenientiam in tertio essentiali: *quomodo illa dicuntur eadem, quæ habent eandem essentiam, ut individua ejusdem speciei: albedo in pariete & charta.* Confer. Aristot. lib. 4. Metaphys. cap. 15. *Sic simile non est idem, cùm similia in multis etiam sint dissimilia. Sed hîc in universali Identitatem determinamus hoc modô:*

3. Identitas in genere est affectio Entis, sub qua Entia in quopiam conveniunt.

Ab aliis ita describitur:

Identitas est convenientia sive unitas, vel unio duorum: Similium in eadem qualitate, Æqualium in eadem

qvantitate. *Sic variis modis Entia possunt dici eadem, prout conveniunt vel in eodem genere, ut species, vel in uno & eodem Subjecto, ut Accidentia* Verbi gratiâ: *In uno pariete, sive in uno corpore: vel in uno Supposito, ut naturæ unitæ in una persona. De qvibus ordine dicemus.*

De Identitate Suppositali & Essentiali.

4. Identitas est 1. vel Suppositalis, vel Essentialis.

Suppositalis est, qvâ distinctæ & diversæ naturæ conveniunt in uno supposito, sive in una persona, ita qvidem, ut unum constituant ὑφιστάμενον. *Sic in ferro ignito supposita liter unum idemq; sunt ignis & ferrum. Sic sal commistus aqvæ facit unum suppositum cum aqva. Huc qvoq; referunt aurum & poculum in deaurato poculo, in qvo supposita liter sint unum & idem. Ex Theologia constat, qvòd inter naturas Christi intercedat Identitas suppositalis (non verò Essentialis) cùm juxta Scripturam natura humana & divina constituant unam personam.*

Essentialis Identitas.

5. Identitas Essentialis est, qvâ plura identificantur in uno tertio essentiali. *Qvod fit duplici modo:* 1. Qvando plures modi

modi identificantur in essentia purissima, ita tamen, ut inter se differant. Sic unitas, veritas & bonitas sunt idem in essentia rei. *Huc referri posset identitas personarum in uno DEO, quâ personæ divinitatis sunt essentialiter unum & idem. Nam (ut rectè Theologi) tres personæ divinitatis sunt una Essentia divina, & hæc una essentia divina sunt tres personæ. Sed in Theologia rectiùs ea inculcantur.* 2. Quando quædam concurrunt intrinsecè ad constituendam essentiam alicujus compositi: *Sic animal & rationale sunt idem essentialiter, & absolvunt essentiam hominis.*

6. Porrò Identitas Essentialis *vel est* Generica, *vel* Specifica, *vel* Numerica. Unde idem dicuntur genere, specie vel numero, *Aristot. lib. 10. Metaph. cap. 3. lib. 1. Top. cap. 6. & alibi.*

7. Identitas Generica est illorum, quæ conveniunt in uno communi genere: *unde dicuntur ὁμογενῆ: Sic Homo & Leo sunt idem genere, nempe in animali conveniunt. Sic omnia illa, quæ sunt in uno prædicamento, dicuntur idem in genere vel proximo vel remoto, ut qualitates conveniunt* *Generica Identitas*

in genere qvalitatis: Sic cœlum & homo sunt unum genere, puta corpore.

8. *Huc refertur* Identitas Analogica, qvâ qvædam conveniunt in analogia, proportione & similitudine. *Ut: Substantiæ & Accidentia sunt idem in Ente.*

ifica. 9. Identitas Specifica est, qva Individua ejusdem speciei conveniunt in eadem specie: *Ut Petrus, Paulus, Casparus, Maria, sunt unum specie, qvia conveniunt in specie humana. Sic Bucephalus, & hic vel iste eqvus sunt idem specie.*

Numerica. 10. Identitas Numerica tribuitur illis, qvæ sunt unum numero. *Sic unum idemq; numero sunt Petrus juvenis, & Petrus senex. Sic Aristoteles & Præceptor Alexandri M. erant unum idemq; numerô Ens. Nam qvi erat Aristoteles, etiam erat Præceptor Alexandri M. Sic hic Studiosus, hic homo, sunt unum & idem numerô.*

De Identitate Causali, Effectivâ, & Subjectivâ.

11. *Deinde* Identitas *alia est* Causalis, *alia* Effectiva, *alia* Subjectiva.

Causalis Identitas. Causalis Identitas est, qvâ Entia duo vel plura conveniunt respectu causæ, vel Efficientis, vel Finis, vel Materiæ, vel For-

Formæ. *Sic fratres habent identitatem ratione Parentum. Studiosi identitatem qvandam habent ratione finis, nempe qvoad cognitionem Philosophiæ, vel Theologiæ, vel Medicinæ.*

12. Effectiva Identitas est, qvâ duo vel plura conveniunt respectu alicujus effecti. *Sic datur Identitas inter duos eqvos, unum currum trahentes. Sic est identitas militum in eodem exercitu respectu communis victoriæ vel prædæ. Sic nautæ habent Identitatem ratione opum.* *Effectiva Identitas*

13. Subjectiva Identitas est, qvâ plura conveniunt in eodem subjecto: *Sic albedo, superficies, qvantitas, sunt idem in eodem pariete. Sic intellectus, voluntas, vis consultandi, discurrendi, sunt unum idemq; in anima rationali.* *Identitas Subjectiva.*

De Diverso.

14. Diversitas est inter illa, qvæ distincta sine contradictione, aut esse, aut concipi possunt, sive id fiat à solo intellectu, vel fundamento in re præsuppositio. *Diversitas.*

15. *Diversa sunt duplicia, vel* diversa tantùm, *vel* diversa differentiâ. *Aristot. lib. 4. Metaph. cap. 9.*

Diversa tantùm sunt, qvæ sunt primò diversa, & per totam essentiam distin- *Diversa tantùm.*

gvuntur, ita ut in nullo genere communi conveniant. *Sic primò distingvuntur Deus & Creaturæ. Item primò diversa sunt summa genera, nempe Substantia, Qvantitas, Accidens, Relatio.*

Diversa Differentia.

16. Diversa differentiâ dicuntur, qvæ propriè differunt per aliqvid sui, ita tamen ut conveniant in aliqvo genere univoco. *Sic diversæ species differunt per diversam formam: Interim in eodem genere conveniunt, ut Leo & Homo, item, Temperantia & Fortitudo. Sic etiam differunt Individua per differentiam numericam.*

De Distinctis & Oppositis.

17. Ex diversitate oriuntur Distincta & Opposita. Sunt enim diversa vel cum pugna, vel sine pugna. Si diversitas *cum pugna* est, tunc unà infert oppositionem, & inde oriuntur opposita: Si verò diversitas est sine pugna, tum illa simpliciter vocatur distinctio, indeq; oriuntur distincta Entia, *de qvibus ordine, ac etiam distinctè agendum erit in seqventibus.*

AXIOMATA.

I. Qvæ in uno tertio conveniunt, inter se conveniunt: *vel ita*: Qvæ in uno tertio sunt eadem, inter se sunt eadem.

Va-

Variè hoc axioma explicatur. Qvidam *dicunt esse intelligendum* respectu illius tertii, in qvo conveniunt, *ut sit sensus*, qvæ in uno tertio conveniunt, illa respectu illius tertii conveniunt inter se. *Alii ita limitant:* Qvæ in uno tertio singulari singulariter accepto conveniunt, illa inter se conveniunt: *vel ut aliàs restringunt* ad Idem tertium incommunicabile, ita, ut illa demum inter se sint eadem, qvæ in uno incommunicabili conveniunt. *Sic Aristoteles & Præceptor Alexandri conveniunt in uno tertio singulari & incommunicabili, nempe in hoc homine. Ergò etiam inter se conveniunt, ita ut Aristoteles sit Præceptor Alexandri & contrà.* Non verò extendenda est regula ad idem tertium communicabile (universale) tùm enim ampliùs non valet. *Non enim licet ita inferre:* Johannes est homo, Petrus est homo. Ergò Petrus est Johannes, *qvia illa convenientia est in uno communicabili & universali. Frustrà ergò Photiniani hìc objiciunt, qvòd exinde Filius sit Pater, & Pater Filius, qvia in una eademq; essentia conveniunt. Nam illud tertium est commune & communicabile. Videatur Theor. Transc.*

II. Idem

II. Idem manens idem semper aptum natum est facere idem. *Sic passer non generat aqvilam, sed passerem: Homo non generat leonem, vel canem, sed hominem.*

III. De iisdem, ut iisdem, idem ferendum est judicium. *Nam ut res est, ita debet concipi, & de hac conceptâ re ita feratur judicium, ut in se erat: Aliàs enim fallax erit & nullum. Sic qvando duo casus planè iidem dantur, tunc de iisdem fertur judicium.*

IV. Qvi benè distingvit, benè docet. *Qvia nempe ordinem observat, & evitat confusionem, qvam aliàs introducit ordinis & distinctionis neglectus.*

Caput XVI.

De Modis Distinctionum.

I.

Distinctio. Modi diversitatis gignunt Distinctionem, qvæ vulgò dicitur plurium inter se differentia.

Sic verò describi solet:

Distinctio est Diversitas, qvâ res vel præter mentis nostræ operationem sunt diversæ, vel ab ipsa mente rebus distinctio imprimitur. *Ut ex Scholasticis, Thomistis, Scotistis communiter docetur.*

2. Di-

2. Distinctio in genere duplex est, vel Rei, *sive ex parte rei*, vel Rationis, & juxta rationem.

Vulgò dicitur: Distinctio est Realis vel Rationis. *Sed illa divisio in sensu Philosophico accepta non est adæqvata. Datur enim alia media, nempe modalis & formalis, ut paulò pòst edocebitur.*

Distinctio Rei seu ex parte rei dicitur, qvando est diversitas inter terminos, prout in re ipsâ distinctè se habent, sive sit inter res & res diversas, sive inter modos reales, sive inter rem & modum. Exempli gratiâ: 1. *Datur distinctio ex parte rei inter res plures & diversas, utpote inter stellas, Solem, Lunam, &c. inter elementa, ignem, aërem, inter metalla, aurum, argentum &c.* Item *inter Creatorem & creaturam, inter substantias & accidentia: inter Spiritus & corpora: inter diversa tùm corpora tùm accidentia.* 2. *Datur distinctio ex parte rei inter diversos modos, ut inter curvitatem & rectitudinem lineæ, planitiem & inæqvalitatem terræ. Similiter distinguuntur ex parte rei, pugnus & palma, item causa & causatum:* Actus & Potentia inter se. 3. *Datur distinctio ex parte rei inter rem & modum rei, utpote inter naturam & sup-* *Distinctio Rei.*

suppositalitatem. Nam in creaturis suppositalitas est modus realis ex parte rei distinctus ab ipsa essentia sive natura. Sic dependentia luminis, juxta quam dependet à Sole, ex parte rei distingvitur ab ipsâ essentiâ luminis.

Quæ ut eò melius & distinctius intelliganzur, ordine de singulis distinctionum modis dicemus.

De Distinctione Reali.

2. Distinctio Rei seu ex parte rei est Realis, vel ex natura rei, & Modalis, nec non Formalis & Virtualis. *Videatur Combachius, d. l.*

Nota: Distinctio *Realis* hoc loco contradistingvitur *Modali & Formali*, ita ut *alia distingvantur realiter*, alia *Modaliter tantùm*, vel *formaliter* & non realiter. Quæ loqvutio usitatissima est, & meritò retinetur.

Distinctio Realis est eorum, quorum unum non est alterum, *ut filius non est pater, nec pater est filius, servus non est Dominus. Distingvuntur ergò realiter.*

3. Distinctio Realis vel strictè ita dicitur, vel secundum Analogiam.

Realis Distinctio. Distinctio realis strictè & in rigore dicta est diversitas rei à re, quæ in hoc consi-

consistit, quod una res non est alia.

Unde est communis opinio, quod Distinctio realis sit inter res & res diversas, h.e. inter plura Entia à se invicem distincta. *Sic realiter distinguuntur diversa corpora, ut Ignis, Aër, Aqua, Terra, Sol & Luna, Stellæ. Sol enim non est Luna, nec contra. Item arbores, plantæ: Item sic realiter distinguuntur diversa accidentia, utpote quantitates à qualitatibus, linea à scientiis, imò etiam diversæ species in uno aliquo prædicamento distinguuntur, ut Triangulum à Quadrato, Fortitudo à Temperantia, Habitus à potentiis naturalibus.*

4. Distinctio Realis secundum Analogiam dicta est inter modos diversos, & inter oppositas relationes, quarum una est incommunicabilis alteri, licet non semper sint distinctæ res, neque etiam in distinctis diversisq; entibus. *Sic in Metaphysicis realiter differunt actus & potentia: Necessarium & Contingens, Causa & Causatum. Sic in Logicis Genus & Species realiter distinguuntur, quia genus non est species, neque species est genus, prout nempè sumuntur in actu signato, & intentionaliter.* *Distinctio Realis secundum Analogiam.*

Huc referri potest Distinctio Realis per-

personarum divinarum, qvæ realiter distingvi à se invicem ab orthodoxa antiqvitate dicuntur, non qvasi sint diversæ res, sed qvia sunt oppositæ relationes, & opposita relata, ita qvidem, ut Pater non sit Filius, nec contrà. *Sunt enim distinctæ personæ.*

Nota: Diversimodè loqvuntur Autores de *Distinctione Reali*: Nonnullis dicitur vel *Major*, vel *Minor*, vel *Minima*.

Distinctio Realis Major est illa propriè sic dicta, qva distingvuntur res diversæ, ut substantiæ diversæ, corpora & accidentia diversa, uti paulò antè exposuimus.

Distinctio Realis Minor est ea, qvæ communiter & usitatò vocatur Modalis.

Minima Realis Distinctio dicitur Formalis & Virtualis, ut è dicendis ordine constabit. Nos tritô progredimur tramite.

5. Distinctio Realis est vel realis tantùm, vel essentialis, vel suppositalis.

Realis tantùm. Tantùm realiter distingvuntur illa, qvæ habent eandem essentiam, & tamen inter se diversitatem realem obtinent; *ut accidentia ejusdem speciei, qvæ sunt in diver-*

diversis subjectis. Sic albedo in pariete realiter distat ab albedine lactis, pomi, ovi, chartæ. Sic scientia Petri realiter differt à scientia Pauli. Sic omnia Individua ejusdem speciei, prout in pluribus multiplicantur subjectis suppositis, sive numerò tantùm diversis, differunt realiter, non verò essentialiter. In Ecclesia & fide Catholicâ personæ SS. Trinitatis distinguuntur realiter tantùm, neqvaqvam essentialiter, *cùm sint una essentia divina.*

De Distinctione Suppositali.

6. Suppositalis distinctio est illorum, qvæ suppositali diversitate, & per modum suppositorum distant, sive sint ejusdem speciei, sive non. *Sic omnia suppositа humana differunt suppositaliter. Sunt enim diversa Suppositа, ita ut aliud suppositum sit Petrus, & vicissim aliud Casparus, Maria. Interim habent eandem communem essentiam illa suppositа humana. Qvare hic iterum* datur distinctio realis suppositalis, qvæ tamen non est essentialis. *Aliàs non negatur, qvòd distinctio* suppositalis non rarò etiam sit essentialis, nempe qvando suppositа diversarum specierum distinguuntur. *Ut: hic homo, hic leo, hic canis, hic equus.* *Suppositalis distinctio.*

De Distinctione Essentiali.

Essentialis distinctio. 7. Distinctio Essentialis est illorum, qvæ habent simul essentiam diversam, ut sunt illa potissimùm, qvæ genere vel specie differunt, *v. gr. Corpora & spiritus essentialiter differunt, qvia habent diversam naturam & essentiam. Sic cœlum & Elementa, arbor, homo, leo, canis, eqvus, sunt diversæ essentiæ. Sic numerus, linea, magnitudo distingvuntur. Talis qvoqve distinctio essentialis est inter virtutis species, & inter habitus, ut sunt Fortitudo, Temperantia, Theologia, Philosophia, Logica: DEUS & creaturæ distingvuntur realiter, suppositaliter & essentialiter.* Hæc de Distinctione reali strictè dicta. *Seqvitur illa, qvæ est* ex natura rei.

De Distinctione ex natura rei.

Ex natura rei distinctio. 8. Distinctio ex natura rei est ex parte rei differentia: licèt non sit tanta, qvanta erat realis propriè dicta, adeoq; minorem diversitatem importat, & majorem identitatem relinqvit eorum, qvæ ex natura rei saltem distingvuntur. *De qva distinctione disputat Svaretz. disput. Metaphys. 7. sect. 1. n. 16.*

Fonseca libr. 4. Metaphysic. ita describit:

Di-

Distinctio ex natura rei est, qvâ aliqvid ab aliqvo distingvitur, præcisâ omni operatione intellectûs.

Aliàs planior videtur esse hæc descriptio:

Distinctio ex natura rei est in illis, qvæ in se qvidem non adeò qvoad essentiam & rem distingvuntur: idem tamen in virtute & efficacia præstant, ac si inter se differrent.

De Distinctione Virtuali.

Et hæc potissimùm est triplex, vel Virtualis, *vel* Formalis, *vel* Modalis. *Ut ex Scoto communiter docent Metaphysici. Videatur Javellus in libr. 12. Metaphys. qvæst. 19. Castaneus in distinction. Combachius in lib. Metaphys. cap. 22. Qvæ tamen distinctiones qvoad rem ferè coincidunt.*

9. Virtualis Distinctio est, qvando id, qvod talem distinctionem habet, in se prorsus non habet aliqvid, ut rem & rem, adeoqve qvoad rem planè est indistinctum Ens, & una res simplex, attamen in virtute & efficacia præstat, qvasi in se contineat aliqvam diversitatem. *Conferatur Combachius d. l. Uno verbo dicam:* *Virtualis Distinctio.*

Virtualiter distingvuntur attributa unius ejusdemq; essentiæ ob varias virtutes

tutes agendi, vel ob varios respectus, sub quibus una illa essentia diversimodè se exerit. *Verbi gratiâ: Vis indurativa, liquefactiva, rarefactiva, condensativa virtualiter distinguuntur in radiis solaribus, & in calore uno eodemq;.* Non quidem dici potest, quòd ibi sit distinctio realis, cùm unus idemq; realis calor omnia ista effecta producat, nempe calor liquefacit, indurat, condensat; Interim non est planè ficta aut puræ rationis distinctio, quandoquidem revera ex parte rei eadem essentia caloris obtinet illas distinctas virtutes, & revera producit illa distinctissima effecta. E. dicendum erit, quòd istæ virtutes unius ejusdemq; caloris distinguantur virtualiter, & ita ex natura rei cum illa eadem caloris essentia sese exerat diversimodè per illas diversas virtutes, nempe liquefaciendo in cera, indurando in luto, rarefaciendo in frigido, condensando in terra. In Theologia disputatur, quòd virtualiter distinguantur attributa divina; utpote misericordia Dei, justitia, omnipotentia, omniscientia Dei. Nam una simplicissima Dei essentia ita diversimodè se exerit, tanquam per diversas virtutes. Sic quando essentia Dei refertur ad actum miserandi, denominatur misericordia, quando autem per actum

actum puniendi se exerit, vocatur justitia: qvando eadem essentia consideratur in respectu ad actum sciendi, appellatur scientia, & qvia omnia scit, dicitur omniscientia. De qvibus consulantur Theologi.

De Distinctione Formali.

10. Distinctio formalis est illorum terminorum, qvi diversas habent rationes formales. *Sic formaliter distingvuntur, qvæ definitione differunt, & tamen realiter unum sunt, at* unitas, veritas, bonitas, ab Ente, actio & passio à motu. *Distinctio Formalis.*

Est autem Distinctio formalis inter ea, qvæ unum sunt essentiale, & contingit, qvando una essentia continet plures realitates formaliter extra se invicem positas. *Sic affectiones Entis formaliter distingvuntur ab ipso Ente, ut actus, potentia, dependentia.*

De Distinctione Modali.

11. Distinctio Modalis est, qvæ versatur inter rem & modum ejus: *Ut contractio manûs sive pugnus differt ab ipsa manu modaliter: sic palma sive dilatatio manûs est modus manûs, indeq; distingvitur ab ipsa modaliter.* Item: Curvitas, cavitas à subjectis, in qvo sunt, ut, simus nasus, coma *Modalis Distinctio.*

crispæ &c. *Similiter inhærentia modaliter differt ab accidente: Item Subsistentia à natura substantiali, dependentia essentiæ creatæ à creatura: præsentia ab essentia istius, quod est præsens.*

12. *Hinc aliàs etiam referri solet* illa distinctio, quæ est inter diversos modos, *quomodo modaliter distinguuntur subsistentia & inhærentia, tarditas & velocitas motûs. Sic tepor & fervor distinguuntur modaliter in aqua, quæ jam est fervida, modò tepida.*

De Distinctione Rationis.

Rationis distinctio.

13. *Denig.* Distinctio Rationis est, quæ vel unicè fingitur à ratione in terminis planè iisdem, vel saltem completur & ostenditur per operationem mentis. *Propterea enim dicitur* rationis *distinctio: quia non in re ipsa, sed* per rationem, *hoc est, per operationem mentis ponitur, & concipitur.*

14. Estq; vel puræ Rationis, vel Eminentis.

Distinctio Rationis puræ seu Ratiocinantis.

Distinctio Rationis puræ est, quæ tantùm fingitur ab intellectu ratiocinante, prout mens nostra distinctè concipit, quæ tamen in se planè sunt unum & idem, *ut: Dextrum & Sinistrum distin-*

distingvuntur in columna, non nisi per fictionem & considerationem mentis: Sic si dicatur, Homo est Homo, *& distingvatur homo, prout est subjectum, à semetipso, prout est prædicatum, illa distinctio erit puræ rationis, qvandoqvidem extra intellectum nulla est diversitas hominis, prout loco subjecti ponitur, & prout loco prædicati consideratur.*

Distinctio rationis ratiocinantis.

Qvæ Distinctio Rationis vocitari solet distinctio rationis ratiocinantis, *qvòd ratio illam faciat ratiocinando in terminis extra intellectum planè iisdem.* Videat. Combachius d. l. *Sic per rationem ratiocinantem distingvuntur definitum & definitio, utpote homo & animal rationale, instar definitionis. Similiter eadem Entia ratio ratiocinans distingvit ponendo & concipiendo illa, jam ut Subjectum, jam ut Prædicatum, item in Syllogismis, prout unum idemq; Ens jam fit major terminus in Syllogismo, jam minor, jam medius.* Sic oritur distinctio unius ejusdemqve essentiæ per diversam considerationem, qvæ fit vel in Theologia, vel Philosophia, vel Ethica, vel Physica, vel Metaphysica. *Ut: anima rationalis aliter consideratur in Physicis, aliter in Ethicis, aliter in Logicis, & aliter in Pneumatologia,*

imo aliter in Theologia. Similiter saltem per rationem ratiocinantem distinguuntur λόγος (*secunda persona divinitatis*) *simplex, prout ab æterno fuit persona simplex:* & λόγος *incarnatus, prout nempè in tempore assumsit humanam naturam: Ubi ob illam diversam considerationem non fit duplex* λόγος, *sed unus manet.* Neque enim λόγος, prout consideratur, ut persona simplex ab æterno existens, differt realiter à se ipso, prout consideratur, quatenus in tempore est incarnatus. *Eodem planè modo:* Omnipotentia divina, quatenus est idioma essentiale τῦ λόγυ, non distinguitur realiter à semetipsa, prout communicatur humanitati assumtæ, *sed saltem ibi est distinctio rationis ratiocinantis: Ubi intellectus humanus aliter considerat Omnipotentiam, prout est essentialiter in Deo: Et deinde iterum eandem illam omnipotentiam aliter concipit, prout illa denominativè tribuitur carni assumtæ.*

Distinctio rationis Eminentiæ.

15. *Denig.* Distinctio rationis Eminentis est, quæ non planè fit & fingitur à mente, sed aliquale fundamentum habet extra rationem in efficacia, virtutibus & effectibus rei: *quomodo suprà dictum*

ctum est, quod virtutes Solis vel caloris distinguantur in diversis operationibus. Hæc enim distinctio verè coincidit cum distinctione formali, & virtuali.

Vulgò appellatur distinctio rationis ratiocinatæ, quod nempè quasi passivè ratiocinetur, hoc est, ad ratiocinandum moveatur ab aliquo fundamento in re extra intellectum posito. *Scheiblerus lib. 1. Metaphys. cap. 8. num. 40. Sic immensitas DEI distinguitur ab immortalitate DEI. Nam immensitas derivatur ex carentia commensurationis ad aliquod spatium, sed immortalitas derivatur ex negatione corruptionis. Hinc quia aliàs distinguuntur, non commensurari spatio, & non corrumpi, sumit intellectus occasionem distinguendi illa attributa DEI, nempè ut distinguat immensitatem ab immortalitate DEI. Quæ distinctio est rationis ratiocinatæ, quia ratio ratiocinabatur, ut loquuntur Scholastici, hoc est, movebatur à fundamento, quod erat in re ipsa.* *Distinctio rationis ratiocinatæ.*

AXIOMATA.

I. Distinctio, quæ non habet fundamentum in re, nulla est. *Saltem enim fingitur & purum putum figmentum est.*

Sic falsò distingvunt Ramistæ inter artem Theoreticam & Practicam. *Nam in re ipsa non datur ars Theoretica: Sic Jesuitæ perperam distingvunt inter* scientiam Theoreticam & Practicam, *cùm in re ipsa non detur scientia Practica. Ut ergò appareat, an distinctio sit bona, postulemus* exempla, qvibus diversitas illa formetur & firmetur. *Et deinde* attendamus, an repugnet alterutrum membrum ei, qvod ita distingvitur, an verò consentiat cum utroqve. *Si prius*, rejiciatur, tanqvàm inepta & nugatoria. *Exempli gratiâ: Dicunt, qvantitatem esse vel* intelligibilem, *vel* extensivam *& prædicamentalem. Qvæ distinctio nulla est: Qvia intelligibilis qvantitas tollit & destruit naturam qvantitatis, adeoq; repugnat ei, qvod distingvebatur, cùm in re ipsa omnis qvantitas sit extensa, habens partes extra partes. Ergò non licet aliam fingere qvantitatem, qvæ sit intelligibilis & expers extensionis. Statim enim illa qvantitas ficta destruet per repugnantiam verum esse qvantitatis.*

II. Qvæ habent diversas essentias, ea distingvuntur realiter: non verò contrà. *Sic Homo, Leo, Canis, qvia habent diversas essentias, etiam distingvuntur realiter.*

liter. *Sint autem istæ essentiæ oppositæ, vel in re ipsa diversæ. Nam si saltem per conceptus subordinatos concipiantur diversimodè, non statim inde distinguentur realiter. Deinde dico, qvòd non valeat è converso.* Multa enim distinguuntur realiter, qvæ tamen non habent diversas essentias, *ut ex dictis notum est.*

III. Non omnis distinctio realis est essentialis: *Sic personæ Trinitatis distinguuntur realiter, non verò essentialiter.*

IV. Distinctio Modalis, distinctio ex natura rei, & distinctio rationis ratiocinatæ ferè sunt synonyma, nec non cum formali penè coincidunt. *Nam in re ipsa planè conveniunt, ita ut in creaturis ea omnia dicantur suò modò distingvi ex natura rei, qvæ modaliter distinguuntur: item eadem dicantur sanò sensu distingvi per rationem ratiocinatam, aut formaliter.*

V. Modalis distinctio tantùm reverà datur in creaturis. *In his enim tantùm sunt modi reales, ex parte rei diversi ab essentia creaturæ. Ut unio à partibus unitis, & qvævis contractio aut determinatio rei ab ipsa re differt modaliter.*

VI. Distinctio rationis non appellatur eò, qvòd sit inter entia rationis, sed

qvòd

quod per eam unum idemque Ens diversis modis concipiatur. *Sic animal, prout est subjectum, distingvitur per rationem à semetipso, prout est prædicatum.*

Caput XVII.

De Oppositis.

I.

Diversa cum pugna. QVæ diversa sunt cum pugna, dicuntur Opposita, *indeq; oriuntur* Modi Oppositionum. *Maxima differentia vocatur ἐναντίωσις Contrarietas, Aristot. lib. 10. Metaph. cap. 4.*

Opposita. 2. Oppositio est repugnantia aliquorum non permittentium se simul & semel in uno subjecto respectu ejusdem.

3. *Ea verò quadruplex* 1. Relativa oppositio, 2. contraria sive contrarietas, 3. privativa, 4. contradictoria sive contradictio. *Aristot. lib. 4. Metaph. cap. 10. item lib. Categor. cap. 10. & lib. 10. Metaph. cap. 4. &c.*

Oppositio Relativa. 4. Oppositio Relativa est inter Relata opposita, quorum unum non est alterum: *Sic opponuntur Pater & Filius, Præceptor & Discipulus, Dominus & Servus, Emtor & Venditor.*

5. Con-

5. Contraria oppositio est pugna inter duos terminos reales absolutos, qui ita inter se distant, ut se mutuò expellant è communi subjecto, in quo successivè possunt esse, nisi alterum insit à natura. *Sic contrariè opponuntur calor & frigus: siccitas & humiditas: albedo & nigredo: virtutes & vitia: liberalitas & avaritia.* *Contrarietas.*

6. Privatio est pugna inter habitum & negationem ejus: *Ut privativè opposita sunt visus & cæcitas, scientia & ignorantia, justitia & peccatum, sanitas & morbus.* *Privatio.*

7. Contradictio est pugna inter Ens & simpliciter non-Ens, vel inter puram affirmationem, & puram negationem ejusdem termini simplicis: *Ut si dicatur hoc esse & non esse simul; Esse verum & non verum, fiet oppositio contradictoria.* *Contradictio.*

De Contradictione Explicitâ & Implicitâ.

8. Est autem Contradictio vel Explicita vel Implicita.

Prior est, quando explicitè vel expressè aliquid esse & non esse simul dicitur: *Ut in hisce, stare & non stare, scribere, non scribere: corpus esse, non corpus esse.*

Notan-

Notandum verò in Contradictoriis, ut termini sumantur: 1. eodem modo & sensu. 2. eodem respectu, & juxta eandem partem vel causam rei. 3. ad idem, & 4. eodem tempore. *Si namq; una conditio abfuerit, non erit oppositio vera, multò minus contradictio.*

9. Contradictio implicita est, quando subjecto tribuuntur prædicata pugnantia. *Ut in hisce, ferrum ligneum, Ecclesia Romana Catholica, atramentum rubrum, fœdè pulcrum,* häßlich schön/*ut vulgò loquuntur. Aliàs* hæc contradictio dicitur in adjecto, quia oppositum est in apposito: *Ut quando ferro adjiciebatur ligneum esse, ibi hoc appositum tollit & destruit naturam ferri.*

10. Sic ergò sunt quadruplicia Opposita: 1. Relativè opposita. 2. Contraria. 3. Privativa, & 4. Contradictoria.

AXIOMATA.

I. Oppositorum est incompossibilitas essendi in eodem, hoc est, opposita non patiuntur se mutuò, nec simul coire possunt in uno. *Sunt enim pugnantis naturæ. Scias verò, quòd Opposita nequeant esse in eodem excellenter, hoc est, juxta gradum*

dum intensiorem vel excellentem. Sic ubi est summus calor, ibi sanè nequit esse summum frigus. Aliàs quoad gradum remissum etiam opposita eidem inesse possunt. Ut in omni mixto est aliquid caloris & aliquid frigoris, itemque aliquid humidi & aliquid sicci. Sic in homine renato est caro & Spiritus, ut de se testatur Apost. Paulus Roman. 7. 17.

II. Repugnantia non tribuuntur uni & eidem simul, eodem modo & respectu ejusdem: *Ut homo est immortalis, nempè quoad animam, illo respectu non est mortalis. Sic juxta quam naturam Christus fuit ab æterno, juxta illam non est natus in tempore: scilicet quoad naturam divinam ab æterno fuit, non verò juxta illam demum est natus in tempore.*

III. Contradictio in adjecto ratione potentiæ divinæ non facilè, nec temerè est asserenda. *Etenim plus DEUS potest, quàm homo intelligere potest.* Sic aberrant Photiniani, quando dicunt, contradictorium esse, Christum esse hominem & Deum. Scimus enim ex Scripturâ, quòd verbum caro factum est. Licet ergò nobis videatur contradictorium, unam personam constituere, Deum & hominem,

nem, id tamen in re ipsa juxta veritatem rei nequaquam ita est contradictorium.

IV. Contradictorium non statim id est, quod nobis tale apparet. *Non enim ex imbecillitate nostri intellectus æstimanda est contradictio, sed ex rei veritate. Sic videtur contradictorium esse, Solem calefacere, & tamen non esse calidum, non verò re ipsa ita est, cum multa agentia producant effecta per actionem æquivocam, ita ut essentia illorum effectorum neutiquam insit causæ. Sic vinum calefacit, & tamen calor actu non est in vino. Similiter Sol producit calorem, licet calor non sit in Sole.*

Caput XIIX.

De Simplici & Composito.

I.

Simplex. Simplex est, quod non potest resolvi in plura, quæ sunt extra rationem ipsius essentiæ.

Vocatur Simplex, quia est sine plica aut complicatione rerum plurium diversarum. *Vide Scheiblerum lib. 1. Metaphys. cap. 5.* In Logicis vocatur terminus simplex.

2. Ac

2. Ac primò qvidem simplex est, vel summè simplex, vel in certo genere.

Illud simplicissimum Ens est solus Deus, *qvi expers est omnis compositionis.*

3. Simplex in certo genere est, qvod non respuit omnem simpliciter compositionem, sed aliqvalem compositionis speciem: *qvalis simplicitas est in Creaturis, utpote in Spiritibus, in formis puris, in accidentibus.* *In certo genere simplex.*

Est autem hæc simplicitas varia: Nam 1. Simplicia dicuntur, qvæ non sunt composita ex re & re, hoc est, non complicantur ex diversis rebus, ut transcendentia & incomplexa accidentia, habitus simplex. 2. Qvorum essentia non est conflata ex pluribus partibus realiter diversis: *qvomodo omnes Spiritus, omnes Angeli, omnes actus puri dicuntur simplicia Entia: item differentiæ ultimatæ & conceptus transcendentes.* 3. Simplicia dicuntur per negationem mixtionis: *qvomodo corpora in Physicis dicuntur simplicia: illa nempe, qvæ non constant ex mixtione qvatuor elementorum.* Sed hæc simplicitas potiùs est in genere corporum, qvàm in genere Entis.

4. Cæterùm qvid simplex sit, facilè innotescit ex ratione compositionis. Prout enim in Ente est negatio compositionis, in tantum est simplex.

De Composito.

Compositum.

5. Compositum est, qvod constat ex pluribus, in qvæ resolvi potest.

Componitur autem vel 1. ex materia & formâ, *vel* 2. ex partibus qvantitativis, *vel* 3. ex subjecto & accidente, *vel* 4. ex natura & supposito, *vel* 5. ex esse & essentia, *vel denique* 6. ex genere & differentia, *ut prolixè docet Combachius lib. Metaphys. cap.* 23.

6. Compositio ex materia & forma est in omnibus & solis corporibus. *Hæc enim constant ex materia & forma, tanqvam ex principiis componentibus, in qvæ iterum resolvuntur. Sic homo est compositum ex anima & corpore. Sic omne animal constat ex anima sensitiva & corpore.*

7. Compositio ex partibus qvantitativis est in qvantis, ubi una pars qvantitatis est extra aliam, & per unionem sive compositionem constituunt unum qvantum partes qvantitativæ; *ut in continuis, nempe in tabula, in scamno. Item in discretis qvantis, nempe in numero, qvi constat*

stat ex variis unitatibus, utpote denarius fit per compositionem seu collectionem decem unitatum.

8. Huc refertur compositio ex partibus integrantibus per analogiam sic dictis: *qvomodo Philosophia constat ex duabus partibus, nempe ex Theoretica & Practica. Sic omnis disciplina ex certis suis partibus componitur, utpote Logica ex Doctrinâ Prædicamentorum, Interpretationum, Syllogismorum.*

9. Compositio ex subjecto & accidente est in omni creato, in qvo tanqvam in Subjecto confluunt, qvasi varia & diversa accidentia, indeq; accidentaliter componunt essentiam Entis creati. *Sic non tantùm corpora accidentaliter sunt composita, sed etiam omnes Angeli, cùm & hi certis accidentibus ab ipsorum essentia distinctis sint præditi.*

10. Compositio ex natura & supposito est in creatis suppositis, qvâ essentia creata substantialis coarctatur per modum superadditum ad esse personæ vel suppositi. *Sic omnis homo, prout distinctam & diversam personam constituit, est compositus ex sua natura, & ex superaddita suppositalitate. Qva de re infrà in parte speciali dicetur fusiùs.*

11. Compositio ex esse & essentia concipitur in creaturis, prout intellectus distingvit inter essentiam & existentiam. *Prout enim primò concipit ipsam essentiam, & deinde qvasi superaddit existentiam, vel esse actuale, oritur inde qvædam compositio in essentia, cui superadditur* (à mente nempe) *existentia, tanqvam diversa ab ipsa essentia. Sed hæc compositio puræ rationis est, cùm in re ipsa, essentia & existentia, planè sint unum & idem.*

12. *Denique* Compositio ex genere & differentiâ est in creaturis: prout omnis species constat ex conceptu latiore & æqvali. *Sic omne Ens prædicamentale est compositum ex genere & differentia, utpote Spiritus ex Substantia & ex esse immateriali: Item, homo ex animali & rationali, & ita porrò per omnia prædicamenta omnes species componuntur, prout habent genus & differentiam.*

De Compositione Essentiali & Accidentali.

13. Est autem Compositio vel Essentialis, vel Accidentalis.

Compositio essentialis est, qvâ plures partes uniuntur ad unam essentiam con-

constituendam, ut fiat unum Ens per se compositum. *Sic corpus essentialiter componitur ex materia & forma.*

14. Accidentalis Compositio est, qvando plura conjunguntur in unum per accidens: ut accidentia in subjectis suis concurrunt, & faciunt unum creatum accidentale, v. gr. pomum flavum, dulce.

AXIOMATA.

I. Simplicitas est summus unitatis gradus. Nam 1. *dicit* essentiam indivisam, *& deinde addit* essentiam indivisibilem, *ita ut id, qvod simplex est, neqveat dividi in plura. V. g. qvia Deus est simplicissimus, ideò etiam maximè est unus & indivisus, ita ut non possit dividi in plura.*

II. Simplicius qvantò magis aliqvid est, tantò ex paucioribus constat. *Sic qvia Angeli sunt simpliciores corporibus, non ex tam multis rebus distinctis conflantur, ut corpora, item, corpora simplicia ex paucioribus constant, qvàm mixta.*

III. Qvæ sub Deo sunt, suô modô composita sunt: *qvia actus impuri sunt, ut ex superioribus innotuit. Licèt autem Angeli vel Spiritus non realiter componantur compositione essentiali, tamen accidentalis com-*

positio ipsis deneganda non est, cum reverâ accidentibus sint præditi.

IV. Compositio est nomen multiplicis imperfectionis. *Nam* 1. Dependentiam. 2. Potentiam passivam importat. *3. Imperfectio compositi est, quod* non possit esse Ens primum, sed necessariò sit ab alio componente, constetque ex principiis componentibus.

Caput XIX.

De Toto & Parte.

1.

TOtum dicitur, quod omnes habet partes sibi debitas & proportionatas. *Plato in Parmenide pag.* 59.

Totum est, cujus nulla pars deest. *Quæ vulgatissima Totius descriptio est. Sed intelligenda de potissimo* Analogato, *uti communiter usu venit in descriptione Analogorum. Vulgus hominum sic loquitur, paulò aliter Philosophus. Sic verò rectiùs definitur:*

Totum est, cui nihil deest eorum, ex quibus natura dicitur totum, & quod continet contenta, ut unum quid illa sint. *Arist. lib.* 4. *Metaph. c.* 26.

2. Vulgò totum est Septuplex. 1. Totum

tum perfectionis *sive* Perfectionale. 2. Essentiale. 3. Integrale. 4. Potestativum. 5. Universale. 6. Individuale. & 7. Numerale. Hæc ita in Scholis Metaphys. communiter enarrantur, & proponuntur, nec est, cur antiquos moveamus terminos. *Videatur Armand. de bello visu lib. 2. termin. Combachius lib. Metaphys. cap. 24.*

3. Totum perfectionale est, quod summam habet perfectionem, & ita dicitur ob totalitatem omnium perfectionum: *quomodo solus Deus est totum perfectionis, quia solus est Ens perfectissimum.* *Totum perfectionale.*

4. Totum essentiale est, quod constat ex partibus essentialibus, *hoc est*, ex principiis essentiam totius intrinsecè constituentibus: *Sic omne corpus dicitur totum essentiale, quatenus constituitur ex materia & forma: ut homo ex anima rationali & corpore, Leo ex corpore & anima sensitiva, suaq; specifica forma.* *Essentiale.*

Huc referri solet totum ex genere & differentia connatum, *quale est species prædicamentalis.*

5. Totum integrale est, quod constat ex partibus quantitativis, quæ in toto uniuntur per modum continuitatis, nõ *Integrale.*

verò per modum actûs & potentiæ. *Sic homo est totum integrale, qvatenus constat ex capite, collo, brachiis, ventre, pedibus. Sic arbor est totum integrale, qvatenus constat ex radicibus, trunco, ramis, foliis.*

Potentiale. 6. Totum potestativum dicitur, qvod continet plures potentias, sive facultates certô modô unitas. *Sic anima est totum, qvia constat variis facultatibus & potentiis. Sic anima sensitiva habet potentias sentiendi, utpote habet visum, auditum, gustum, tactum, item potentiam loco movendi, & potentiam appetendi: Et qvia istæ potentiæ uniuntur in anima, tanqvam in uno toto, inde dicitur totum, & in specie Potestativum sive potentiale*, cùm illa, qvæ in se continet, potiùs sint potentiæ & facultates, qvàm partes strictè sic dictæ.

Universale. 7. Totum Universale est unum qviddam ad multa pertinens, qvod sub se habet partes subjectivas, ut Genus & Species. *De qvo in seqq. cap. ex professo agetur.*

8. Totum individuale est res singularis, ens singulare. Ens individuum, numerô unum. *Sed de universali & singulari distinctius erit agendum in seqventi capite.*

9. De-

9. Denique Totum Numerale est numerus ex unitatibus constans. *Ut binarius terminarius, denarius &c.* Vocatur Arithmeticum, quod habet partes numerantes totum.

De Oppositis Totius & Partibus.

Toti formaliter opponuntur contenta in toto, sicuti & unitivè contenta statuuntur in Ente, ut sic, & in universali patent. Vulgò vocantur Partes. Ita scilicet:

10. Pars opponitur toti, tanquam incompletum quid completo, & ad quod ordinatur. Nimirum *Pars.*

Pars est, quæ concurrit ad constitutionem & integritatem alterius totius.

11. *Et quidem* partes in populari sermone sic dictæ tantùm sunt in toto essentiali, essentiales dictæ, & in toto integrali, integrales dictæ.

12. Partes essentiales sunt, quæ essentiam rei intrinsecè constituunt per unionem essentialem: *quomodo materia & forma sunt partes essentiales corporis. Anima rationalis & corpus sunt partes essentiales hominis.* *Essentiales.*

Integrantes. 13. Partes Integrantes sive Integrales dicuntur, quæ integritatē rei complent per unionem quantitativam, hoc est, per cohæsionem continuam, *uti in animalibus sunt capita, colla, venter, pedes, brachia, manus.*

14. Sunt autem integrantes partes, vel Similares seu Homogeneæ, vel Dissimilares seu Heterogeneæ.

Similares. Similares & Homogeneæ partes dicuntur, quæ cum toto ejusdem sunt naturæ & appellationis: *ut quævis pars carnis est & dicitur caro, item quævis portio aquæ est aqua, quævis pars vini est vinum, ut ita sint ibi partes similares.*

Dissimilares. 15. Dissimilares & Heterogeneæ partes sunt, quæ diversam habent naturam & appellationem à toto, *ut Cor, Epar, Caput, sunt partes hominis heterogeneæ.*

Partes dissimilares sunt, vel principales, vel minus principales.

Illæ sunt, quæ ita ad conservationem totius sunt necessariæ ut sine illis totum esse non possit. *Ut in homine cor, caput, venter.*

16. Partes minùs principales sunt, sine quibus totum salvum esse potest, *ut in homine sunt digiti, brachia, pedes: In arbore*

re sunt folia: in domo sunt conclavia, fenestræ & alia, quæ potiùs ad ornamentum ædificii faciunt, quàm ad ejus integritatem simplicem.

18. In reliquis Totius generibus, *ut dixi, ejusmodi partes populariter sive secundum vulgarem loqvutionem sic dictæ*, non dantur, interim κατ' αἰαλογίαν ponuntur, *ut* in universali toto ponuntur partes subjectivæ, quæ sunt inferiora, ut generi subjiciuntur species, ceu partes ejus. *V. g. animalis partes subjectivæ sunt homo, leo, canis & reliquæ bestiæ, item* speciei subjiciuntur individua tanquam partes, *ut homini Petrus, Paulus, Casparus.*

19. *Similiter* in toto potestativo dicuntur partes potestativæ, quæ tamen potiùs sunt potentiæ, virtutes & potestates, *ut in anima rationali intellectus, voluntas, vis consultandi, facultas ratiocinandi:* In numerico toto sunt unitates, ceu partes numeri.

AXIOMATA.

I. Totum est majus qualibet sua parte: *puta* & mole, & perfectione, & facultatibus.

II. Posito toto, necesse est poni omnes partes: *scilicet eas, quæ constituunt totum, totiq;*

totiq; correspondentes, ut posito homine ponitur anima & corpus.

III. Absurdâ planè ratione tribuitur toti, quod nullius est partis.

Scilicet in exercitio actus, seu in genere actionum & passionum, ut homo videt. E. ejus pars aliqua videat oportet: Animal vulneratur. E. secundùm aliquam partem. Ratio est, quia actus, actiones & passiones toti supposito conveniunt mediantibus partibus. *Vulgò ita loquuntur:*

Quodcunque de toto dicitur in actu exercito & materialiter sumto, id etiam de aliqua ejus parte dicatur necessũ est. *Ut quando dicitur apud Matthæum, cap. 28. de CHRISTO, quod ipsi data sit omnis potestas in cœlo & in terra, ibi quia concedunt Adversarii toti CHRISTO illam potestatem esse datam, necessum est, ut concedant etiam alterutri naturæ esse datam. Et quia certum est Divinitati in tempore nihil fuisse datum, dicendum erit, quod illa potestas omnis data sit humanæ naturæ CHRISTI, ut ita CHRISTUS etiam quoad humanam naturam sit omnipotens.* Quæ verò contra hanc regulam obstare videntur, & passim objici solent, alibi prolixè refutavimus.

IV. Ubi-

IV. Ubicunque totum est, ibi necessariò etiam sunt omnes ejus partes. *Ut si totus homo est in Musèo, necessum est, ut etiam omnes ejus partes ibi adsint, utpotè brachia, caput, anima, corpus, &c. Sic quia conceditur à Calvinianis, totam personam CHRISTI esse omnipræsentem, oportet etiam, ut dicant, omnes partes personæ, hoc est, utramq; naturam CHRISTI, suo modo esse omnipræsentem.*

Caput XX.

De Universali & Singulari.

I.

OMne Ens est vel Singulare vel Universale. *Quam divisionem tradit Aristoteles lib. de Interpretatione cap. 7. hisce verbis:* Rerum aliæ sunt universales, aliæ singulares: (*universale appello, quod suapte naturâ multis attribuitur. Singulare, quod non attribuitur, ut homo est res universalis, Callias singularis.*

Universale variis modis dicitur: Nam & *propositiones dicuntur Universales, potissimum eæ, quæ sunt καθόλου & demonstrativæ, ut: Omnis homo est rationalis.* Aristotel. lib.

lib. 1. Analyt. cap. 4. &c. *Item: & universale* accipitur pro nota vel signo universalitatis, *quod significatur per dictiones*, Omnis, Nullus, Quodlibet. *Et hoc appellant Logici* Universale in distribuendo. *Arist. lib. de Interpret. cap. 7.*

Vox Universalis. Quin porrò Universale dicitur in causando, quod universaliter causat, estque nihil aliud quàm causa Universalis, quæ plura producit effecta, *ut Deus, Cœlum, Sol, Luna, uti suprà in doctrina causarum exposuimus.*

Universale dicitur in repræsentando & significando, qvod est vox sive nomen, vel imago, vel species plura repræsentans.

Universale est in prædicando, qvod potest de pluribus prædicari, *ut genus de omnibus speciebus v. g. animal de homine, de leone, de cane & equo*: *Item*ǵ Species de omnibus individuis, *v. g. homo de Petro, Paulo, cive, rustico, &c.*

*Denig*ǵ Universale est in essendo, quod aptum natum est pluribus inesse. *Arist. lib. 7. Metaph. cap. 13. & hoc est, quod Metaphysica sibi vendicat, est*ǵ *hujus loci. Sic autem describitur:*

Universale, quid. 2. Universale est Unum quid nomine

&c

& ratione, quod aptum natum est pluribus inesse, ita ut divisim in pluribus multiplicari possit, de quibus etiam essentialiter prædicatur. *Videatur Aristot. lib. 7. Metaph. cap. 13. lib. de Interpret. cap. 7. Breviter ita:*

Universale est unum Commune & Multiplicabile in pluribus inferioribus per modum generis & speciei.

Sic in ipsis rebus datur natura communis in pluribus numero diversis, utpote humana natura *in Petro, Paulo, Johanne, &c.* item natura animalis *in equo, bove, vacca, piscibus &c.* Eadem essentia communis est in mare ac fœmina, in puero, & sene &c. Sic materialiter *omnis species & omne genus sunt universalia, utpote animal, homo, virtus, temperantia, habitus, Logica, Physica.*

3. Duo *ergo* requiruntur ad verum universale: 1. Unitas. Omne enim Ens universaliter conceptum est unum quid. 2. Communitas multiplicabilis, vel multiplicitas aptitudinalis. Non enim sufficit, ut sit unum. Nam & singularia sunt unum quid: Sed insuper aptitudo requiritur, ut illud unum possit multiplicari in pluribus inferioribus, *ut constat de*

de communi naturâ in diversis individuis, in diverso sexu humano, sive alio.

De Universali Actuali, ut ita loquar, & Potentiali.

Universale vel est actu, vel potentia.

4. Universale in potentia est, quod adhuc in rebus existens præbet fundamentum intellectui, ut universaliter possit concipi, *hoc est*: Est natura communis in singularibus radicata, quæ apta nata est per abstractionem mentis universaliter & communiter formari.

Aliàs vocatur universale in multis, *item*, concretum & Physicum, *ut animal, prout est in Leone, cane, equo & homine.*

5. Universale in actu est Natura Communis jam abstracta & per mentem concepta, ut universale quid. *Quale est omne genus, omnis species. Aliàs vocatur* Universale post multa: *item*, Logicum & abstractum.

Et hoc universale formaliter non datur extra intellectum in ipsis rebus, sed unicè consurgit per operationem mentis, quæ ex eo, quod in potentia erat universale, actu format universale per abstra-

abstractionem, dum concipit illud, ceu Unum, & commune multis, divisim existentibus.

De Universali simpliciter sic dicto, & Singularizato.

6. *Porrò* Universale est vel simpliciter tale, vel Singularizatum.

Illud est, qvod distinctè & abstractè concipitur juxta definitionem suprà datam *num.* 5.

7. Universale Singularizatum vocant, qvod in singularibus exhibetur, & in certo Individuo repræsentatur, *ut, qvando natura Universalis, speciei, vel generis, utpote animalis, hominis, corporis, spiritûs, temperantiæ, scientiæ, repræsentatur in aliqvo individuo, utpote in Petro natura hominis exhibetur, in Aristotele scientia.* *Universale Singularizatum.*

8. *Denique* qvomodo Universale sit vel Univocum, vel Analogum, ex Logicis intelliges, ex doctrina de genere Univoco & Analogo. *Videantur Institut. Log. lib.* 1.

De Singulari.

9. Singulare est, qvod unitate numericâ & individuali est determinatum. *Vel ut vulgò dicunt:*

Individuum est unum quid numero, quod dividi nequit in plura inferiora, ut in suo esse res una maneat: *quomodo omne Ens extra intellectum in se ac in suo esse distincto existens est singulare & individuum Ens, ut DEUS, hic Angelus (iste vel ille) hic ignis.*

Aliàs vocatur res individua, res singularis, totum Individuale, hoc aliquid, ἄτομον *item* τὸ καθέκαστον, *ut sunt Petrus, Paulus, Casparus, Johannes, hæc albedo.*

10. *Disputare hic solent* de principio Individuationis, *hoc est*, de causa, propter quam res sit individua, & singularis res. *Et intricatè satis. Sed quasi uno verbo dicimus, quod est principium essendi sive essentiæ, illud quoq; est principium singularis, sive individuæ essentiæ, h. e. individuationis principium. Natura enim semper producit atq; constituit hoc aliquod. Ergo ipsa natura rei erit suæ propriæ individuationis principium, sive sit externum, seu effectivum, sive internum & formale. Certè causa efficiens semper producit individuum, adeoq; istius individuationis verum principium est. Item forma corporibus dat esse rei in certa materia, & sic quoq; eadem forma det esse individuificum in corporibus, adeoq; est verum*

in

in illis principium individuationis, ut anima rationalis in homine: sic Entia simplicia, uti in esse constituuntur per simplicem essentiam, ita etiam individuificantur (h. e. fiunt individua) per eandem, ut ita frustra hic fingatur insulsa difficultas.

AXIOMATA.

I. Omne quod est, eo ipso, quia est, singulare est. *Vetus axioma est, quod meritò retinetur, & verissimum quoq; rectè intellectum. Loquitur enim* de eo, quod in se, ac in esse suo distincto existit, quodque extra omnem considerationem mentis formaliter & actu est in rerum natura. *Sic certè universalia non existunt, nec esse habent realiter distinctum à singularibus, sed in iis ita sunt, ut per identitatem essentialem cum ipsis sint, quod sunt.* Concretè ac materialiter existunt in rebus singularibus, sed non formaliter, non abstractè. *Rectè Aristotel. in Categoriis:* Substantiæ secundæ (*seu universales*) non sunt nisi in primis (*singularibus*:) Ratio est in promtu, quia nullum universale reipsâ distinctum est à singulari & individuo suo, nec ab eo separari potest. *Verissimum ergò est axioma.*

Omne, qvod in se ac in suo esse distincto, formaliter & actu est, eo ipso, qvia sic, ceu Ens distinctum, est, singulare est.

Cæterùm ut facilius intelligatur, breviter ita concipi & exponi potest:

Omne qvod est, eo ipso, qvia est, singulare est, aut singularizatum, *ut loqvuntur.*

II. Productô singulari, producitur & universale: *Scilicet ex consequente, & qvidem* universale concretum, sive materialiter sumtum.

III. Universalia à singularibus neqvaqvam sunt separata: *Rectè enim Aristoteles docet, sublatis substantiis* primis, (h. e. singularibus) mox tolli secundas, *h. e.* universales.

IV. Omne universale est multiplicabile in plura inferiora divisim existentia, *ut patet ex definitione Universalis.*

V. Universale propriè dictum formaliter non est extra mentem sine singularibus, *sicut olim Ideas Platonicas constituerant malè sani discipuli Platonis*, sed omne ac totum esse suum habet in singularibus & individuis, juxta regulam Aristotel. *Substantiæ secundæ non sunt, nisi in primis.*

Sicuti

Sicuti verò certum hoc ipsum est, qvòd omne universale sit in singulari seu in suo individuo, ita pariter & istud indubitatum, qvòd *nullum universale formaliter tale sit extra intellectum & considerationem mentis, qvâ in esse actuali constituitur.* Qvod ut intelligas rectiùs, probè observes, qvòd in omni universali, tanqvam in concreto & denominativo duo sint. 1. *Materiale seu res subsstrata*, qvæ denominatur universalis. In Logicis vocatur denominatum. 2. *Formale seu ratio denominandi*, per qvam denominatur universale.

Jam qvod attinet *materiale Universalis, seu rem ipsam*, qvæ denominatur universalis, & cui hæc notio imponitur, dubium nullum, qvin actu sit in ipsis rebus. *V. g. Homo, (s. humana natura,) cui imponitur denominatio speciei, est in rerum natura, & qvodlibet individuum humanum est, homo intrinsecè, nemine cogitante.* Sed longè aliter comparatum est cum universali *formaliter sumto, seu de formali, per qvod est universale.* De hoc statuitur, qvòd istud, *qvatenus tale*, actu extra mentis considerationem non sit in rerum naturâ, sed esse suum proprium accipiat ab ope-

ratione intellectus. *V. g. Genus, quatenus tale, non est extra intellectum, nec species, quà talis.* Summa: *universalia sunt in rebus* materialiter, concretè, potentialiter, ac fundamentaliter, *sed non sunt in illis* formaliter, abstractè & actualiter. Sic enim in pleno, plano, & præcisò suo esse fiunt per abstractionem & considerationem mentis.

Caput XXI.

De Communicabili & Incommunicabili.

1.

VOx communicabilis est ambigua. Sumitur 1. pro voce communi: quomodo æquivoca sunt communia multis rebus, quoad nomen, ut ex Logicis notum est. 2. Pro re ipsâ communi. *Et sic hoc loco.*

Communicabile quid.

2. Communicabile est una res, quæ alii communicatur: vel, à qua participat aliud, sive id fiat quoad possessionem tantùm, sive simul quoad usurpationem. *Et hoc variis modis contingit ob communicationis varietatem.*

3. Communicatio in Genere est vel Realis, vel Intellectualis.

Realis

Realis communicatio est, quâ plura realiter distincta de uno communi participant: *Ut quando calor ignis communicatur ferro, vel vox Concionatoris auditoribus.* *Realis communicatio.*

4. Et hæc communicatio Realis est quadruplex: 1. Unius Essentiæ ad diversos modos. 2. Inter Accidens & Accidens. 3. Inter Substantiam & Accidens. 4. Inter Substantiam & substantiam.

5. Communicatio unius essentiæ ad modos diversos est, quâ unum numero Ens est commune pluribus modis. Sic in Metaphysicis essentia rei est communis unitati, veritati, bonitati.

Huc referri posset Communicatio essentiæ unius ad distincta suppositа, quæ fit, quando una numero existens essentia & Indivisa est communicabilis multis suppositis: *Ut essentia divina est communis tribus Personis, sed sine multiplicatione essentiæ divinæ.* Verùm ad Theologiam ea spectat; hîc duntaxat distinctionis gratiâ enarratur, ut à reliquis religiosè secernatur.

6. Communicatio inter accidentia diversa fit, quando duo vel plura accidentia in uno Subjecto concurrunt, ar-

θεῷ uniuntur: *Ut in lacte dulcedo & albedo: In Studioso Theologia & Philosophia.*

7. Communicatio inter Substantiam & Accidens fit, qvando id, qvod accidenti per se competit, etiam tribuitur Substantiæ propter inhærentiam accidentis: *Ut humiditatis proprium est difficulter contineri propriis terminis: & hæc tribuitur aqvæ propter humiditatem ipsi conjunctam.*

Communicatio Substantiarum.

8. Porrò Communicatio realis inter Substantias diversas est duplex: Vel enim est inter Substantias separatas, vel inter unitas & conjunctas.

Communicatio inter Substantias separatas contingit triplici modo: 1. *Secundùm transgressionem*, qvâ communicatum, derelicto communicante, transit in illud, cui communicatur, & dicitur κοινωνία κατὰ μετάβασιν: *Ut sonus ex ore Pastoris abit ad Auditores, illisq; ita communicatur.* 2. Secundùm *productionem alterius similis*, qvâ in eo, cui communicatur, producitur simile aliqvod, qvod erat in communicante, & dicitur κοινωνία κατ' ἀλλοποίωσιν. *Sic Sol communicat calorem inferioribus corporibus, qvæ à Sole calefiunt, ut aqva, aër, terra, lapides*

des, &c. Ignis quoq; & flamma, quatenus multiplicatur & crescit, accendit alia, & sic calefaciendo alium calorem producit, sed per se ipsum. Porrò Pater filio communicat corpus, animam, animæq; propria. Sic Præceptor communicat eruditionem discipulo, quæ communicatio rectè dicitur Effectiva. 3. Secundum *usurpationem*, quâ alteri aliquid communicatur quoad usum. Et dicitur κοινωνία κτ' ἐξήσιν. *Sic amicorum bona dicuntur esse communia.*

De Communicatione Unitorum.

9. *Deniq;* fit communicatio inter Substantias conjunctas, & ad unum suppositum unitas, quæ vocatur κοινωνία καθ' ἕνωσιν & κτ' συνδύασιν, eò quòd istæ substantiæ, inter quas communicatio esse dicitur, sint unitæ & consociatæ. *Communicatio substantias unitas.*

Hæc communicatio hoc loco præcipuè notanda & celebratissima est in Scholis Philosophorum. Ita verò describitur:

10. *Communicatio per συνδύασιν est, quâ propter unionem id, quod unius est proprium, alteri confertur sine sui multiplicatione, aut transfusione, ad communem possessionem, usurpationem & denominationem.*

Talis communicatio est 1. *ratione totius in compositio vel supposito & personâ*, quando propria partium communicantur toti, v. g. propria elementorum, (ignis, terræ, aquæ) mixto, quod inde redditur, calidum, humidum, crassum, grave: Ita propria animæ rational. utpote intellectus, voluntas, homini. 2. *ratione partium inter se*, ut forma suum proprium actum communicat materiæ, quam actuat. Sic anima est actus corporis Physici. *Huc refertur communio propriorum accidentium inter ferrum & ignem in ferro ignito. Tunc enim ferrum sit calidum & urit: Item propria ferri communicantur igni. Similiter quando sal commiscetur aquæ & ita uniuntur, tunc propria aquæ, ut diffluere, madefacere communicantur sali. Sic datur communicatio proprio-rum inter corpus & animam, ut vita, sensus tribuuntur corpori per communicationem ab anima.*

Et hoc est illud *Communicationis idiomatum genus*, de quo contra Adversarios, Calvinianos præcipuè ac Jesuitas, acriter disputant Philosophi & Theologi. Illi ex principiis naturalib. edocent, proprium unius naturæ realiter communi-

municari alteri counitæ, ut patet in exemplis paulò ante citatis. *Hi ex divinis literis demonstrant, propria divinæ naturæ revera communicata esse carni assumtæ propter unionem arctissimam personalem, quæ est inter naturas Christi. Ita fuit Realis Communicatio.*

11. Intellectualis communicatio fit, quando subjecta non sunt realiter distincta, quæ dicitur κοινωνία κατὰ μέθεξιν *Sic propria generis communicantur speciei, & propria speciei participantur essentialiter ab individuis.* Sic ergò variis modis communicantur propria. *Errant proindè Calvinistæ, qui passim clamitant, propria non posse communicari.* *Intellectualis communicatio*

Incommunicabile è dictis facilè intelligitur: quod nempè est tale Ens quod aliquam communicationem speciebus dictis non admittit, & tot modis sumitur, quod modis ipsum communicabile. *Incommunicabile quid?*

AXIOMATA.

I. Communicatio realis non statim est essentialis: *Ut ferrum & ignis realiter uniuntur in ferro ignito, ita ut propria ignis, calor, splendor, communicentur ferro, idq;*

idq; inde reddatur calidum & splendidum, nequaquam verò illa communicatio est essentialis: nec essentiam ferri mutat, nec confusionem essentiarum inducit, sed omninò distincta essentia manet ferri & ignis. Sic est communio inter idiomata naturarum Christi, sed realis tantùm, non essentialis. Nam idiomata divina manent propria divinæ essentiæ & naturæ, licet reverà conveniant naturæ humanæ per communicationem.

II. Non omnis incommunicabilitas repugnat individuo. *Nam effectivè etiam res singularis communicari, sicuti & cum alio uniri, potest. v. g. partes hujus vel illius individui communicantur toti, & omne accidens communicatur subjecto, in quo inest, ut nigredo tabulæ, albedo libro.*

III. Incommunicabile certo modo, non est Incommunicabile statim absolutè & simpliciter. *Sic suppositalitas dicitur quidem Incommunicabilis ad aliud suppositum, communicatur tamen naturæ, cujus est modus. Non E. repugnat, personam divinam communicari naturæ humanæ, licet alio modo sit incommunicabilis.*

IV. Unio est causa communicationis, non absoluta, sed ratione proprii: 1. non repu-

repugnantis αὐλοφαλκῶς naturæ subjecti alterius. 2. operativi, non quiescentis. 3. conferentis ad finem unionis: & sic quidem est causa communicationis specialis.

Caput XXII.

De Naturali & Artificiali.

1.

POrrò ex veritate Entis derivatur esse Naturale & Artificiale, *ut ex Scholasticis & compilatore Combachio lib. Metaphys. cap. 25. non ignobiles docent Metaphysici.* *Æquivocatio Naturalis.*

2. Naturale sumitur 1. pro rebus naturalibus, quæ sunt in Naturâ & à Naturâ. *Sic lapis est naturalis, quia esse suum habet in naturâ.* 2. Constitutivè pro partibus rei naturalis, quæ naturam alicujus rei constituunt. *Sic homini naturale est corpus organicum & anima rationalis.* 3. Consecutivè, quod à forma fluit immediatè. *Sic risibilitas homini est naturalis, calor igni, humiditas aquæ.* Quibus additur 4. naturale sumi *Subjectivè* pro eo, quod naturæ infixum hæret penitissimè, *ut morbus hereditarius.* Sic ulcus aliquod potest

potest dici naturale. 5. *Perfectivè*, quod ipsam naturam exornat, juvat ac perficit: *Sic eruditio, virtutes sunt naturales.* 6. Transitivè, quod propagatur mediante communicatione καὶ ἀλλοπίσιον.

Artificialis. 3. Deinde Artificialis æquivocatio notetur, quod sumitur: 1. pro eo, quod fit vel factum est ab arte. Sic forma dicitur artificialis, quæ fit ab arte in materia. 2. pro eo, in quo operatur ars: *Sic materia apud Zabarell. lib. 2. Phys. c. 22. dicitur artificialis, in quâ operatur ars.* Itemque quod habet artem, seu quod est artificiosum. *Sic domus dicitur artificialis, quia est artificiosè & ingeniosè extructa.* 3. Abusivè pro ratione, quâ aliquid probatur, propter testimonium extrinsecus assumtum, quod dicitur *argumentum inartificiale.*

Naturale. quid? 4. Naturale Ens dicitur, quod esse suum habet in natura & à natura. *Vide Aristot. lib. 6. Metaphys. cap. 2.*

Aliàs in particulari describitur:

Naturale Ens dicitur, cujus veritas, nempè essentialis, pendet ab intellectu divino. *Sic omnes Creaturæ, etiam Spiritus & Angeli, sunt Entia naturalia.*

Natu-

Naturale sic dicitur à natura, ut artificiale ab arte, *Aristot. lib. 2. Phys. cap. 1.*

5. Natura verò est vel Naturans, vel Naturata.

Natura naturans dicitur, quæ omnia naturavit, hoc est, in proprio naturæ ordine posuit: *quomodo solus Deus est natura, & naturale Ens.* *Natura naturans.*

Naturata

6. Natura naturata est omne creatum, quod à natura naturante esse suum obtinet, indeque principium certarum operationum existit: *quomodo Angeli & omnes res Physicæ dicuntur Entia naturalia.*

7. Naturale multipliciter dicitur: 1. Opponitur *Supernaturali.* Sic naturale dicitur, quod à causis naturalibus fit, & naturæ viribus constat. *Supernaturale est*, quod à Deo est supra vires naturæ. 2. Opponitur *voluntario*: Sic naturale dicitur, quod fit per necessitatem naturæ, & aliter fieri nequit: *ut ignis urit.* 3. Opponitur *fortuito & violento.* Sic naturale est, quod per se fit ex interna rei essentia. 4. Opponitur *artificiali*. ut hoc loco.

8. Porrò probè sunt distingvendi termini à natura derivati, quorum sunt quin-

quinque: 1. à natura esse vel fieri. 2. secundum naturam esse vel fieri. 3. præter naturam esse vel fieri. 4. contra naturam esse, vel fieri. 5. supra naturam esse vel fieri.

A natura esse.

9. A natura dicitur aliquid, quod sequitur naturam rerum. *Et hoc contingit quatuor modis: Nam* à natura esse dicuntur, 1. Congenita, nempè quæ eadem cum eo, quod naturam in se habet, primordia obtinent: *Sic homini φύσει à natura inest mortalitas, terræ gravitas, igni levitas.* 2. Quæ quidem non sunt congenita, suâ sponte tamen successu temporis in capacibus, & naturâ destinatis subjectis proveniunt. *Sic viro à natura inest barba, fœminis mammillæ.* 3. Quæ neque congenita sunt, neque suâ sponte progressu temporis in subjectis habilibus ptoveniunt: Sed quorum potentia tantùm inest, actus verò & res ipsas non nisi studio & labore consequimur. *Sic Virtus Ethica & scientiæ naturales sunt à naturâ.* 4. Ad quæ natura magis sumus proclives, vel natura magis intendit: *Hoc modo sanitas in est à naturâ.*

Secundum naturam.

10. Secundum naturam esse vel fieri ea dicuntur, in quibus ea servatur ratio

&

& ordo, qvem cujuslibet rei natura specifica exigit. *Sic secundùm naturam terræ est, qvòd in medio mundi existit, & ad ima movetur loca. Sic levia adscendunt, ignis urit.*

11. Præter naturam sunt & eveniunt, qvæ qvidem aliter, qvàm specifica forma reqvirebat, fiunt, neqve tamen ei simpliciter repugnant, neqve cum interitu ipsorum fiunt, qvin potiùs commodo universi serviunt. *Sic* Φύσει *præter naturam movetur rota, globus, orbiculus, in gyrum, in orbem. Sic vulgò in Scholis Peripateticorum ex mente Aristotelis disputatur, qvòd ignis sub concavo Lunæ moveatur in orbem, id qvod tamen naturam ignis non destruat.* *Præter naturam.*

12. Contra naturam eveniunt, qvæcunqve contra communem naturæ cursum contingunt, & fiunt causis secundis ita inter se pugnantibus, ut una alterius, tanqvam fortioris, virtute victa & coacta, licèt contranitatur & repugnet, cedere cogatur cum suo damno & interitu. *Sic ignis suffusâ aqvâ extingvitur, levia supprimuntur, ne adscendant.* *Contra naturam.*

13. Supra naturam fieri & esse dicuntur illa, qvæ à naturâ naturante, sive à *Supra naturam.*

primâ causâ, non secundùm consvetum & proprium naturæ ordinem, ipsi in prima creatione & ortu implantatum, sed *novô qvodam modô*, & qvidem sine ulla causarum secundarum lucta vel repugnantia, ut eveniant, imperantur & in actum producuntur: *Sic supra naturam evenit, qvòd virgo peperit filium, ferrum supernatavit aqvis, Sol stetit in pugna Josuæ.*

Artificiale qvid? 14. Artificiale est, cujus veritas ab intellectu dependet humano, adeoqve est Ens ab arte factum: *qvalia Entia sunt omnis generis artificia, statuæ, picturæ, horologia, vestimenta, scamna, mensæ, pocula, ligatura librorum.*

Dicitur artificiale pendere ab intellectu humano ob certam dispositionem, qvæ intercedit, qvæq; pendet ab ingenio & viribus humanis, in qvantum res artificiales æstimantur & conformantur ideæ in mente artificis existenti: unde illa effecta, qvatenus sunt bona, rectè qvoq; reduci possunt ad DEUM omnis boni fontem & auctorem.

Distinctio Naturalis & Artificialis. 15. Hinc multis modis differt & distinguitur à Naturali, *qvod ostendit fusè Pererius lib. 7. Phys. c. 2. p. 425.* 1. Ratione denominationis. *Naturalis enim rei denominatio intrinseca; Artificialis extrinseca est.*

2. Na-

2. Naturale potest convenire cum agente & secundùm esse & secundùm formam: *ut homo generatur ab homine, & convenit essentialiter cum homine generante:* artificiale secundùm ideam seu formam tantùm, non secundùm esse. 3. Rei naturalis partes omnes & principia sunt à natura; in rebus verò artificialibus non omnes partes & principia sunt ab arte. 4. Res naturalis determinata est & secundùm formam seu speciem, & secundùm productionem; Artificialis verò tantùm secundùm formam. 5. Naturalis rei forma intrinseca est, artificialis verò extrinseca hærens in superficie tantummodò. 6. Res naturales habent in se principium motus ejus, qvo ipsæ moventur; Artificiales vero, qvà tales, nullum habent principium motûs aut qvietis, qvod enim scamnum possit moveri, hoc habet à materia & naturali corpore, qvod in scamno est, non à forma artificiali.

CANONES.

I. Tria sunt agentia, Deus, Natura & Ars. *Deus est Creator omnium. Natura est Dei opificium debitis agendi virtutibus instructum. Ars denique est naturæ inventum ingeniosum.*

II. Qvod ineſt naturâ abſolutè, eſt de rei definitione. Sic rationalitas, qvæ eſt de natura hominis abſolutè, eſt de ejus definitione. *Unde Goclenius talem format regulam in Lexico, pag. 471.* Ἀδιάφορον eſt alicui convenire oppoſitum ejus, qvod conveniat ei abſolutè: & e. gr. ſubjicit: *Ita cùm conveniat circumſcriptio Creaturæ, non poteſt ei attribui τὸ ἀπερίγραπτον. Hic ſi illud de Pythagora dictum,* αὐτὸς ἔφα, *obtineret, multa certè everteret Calviniſta. Qvis verò neſcit hominis naturæ convenire abſolutè, ſaltem ratione fundamenti, non eſſe Deum?* & tamen ex Theologiâ propter unionem perſonalem dicimus: *Homo eſt Deus.* Non igitur eſt ἀδιάφορον ſimpliciter, ſed κατά τι, nempe 1. eô modô, qvô illud ei convenit abſolutè, benè tamen tribui poteſt modo diverſo & ſecundario. 2. Convenientiâ immediatâ, non verò mediatâ. Sic τὸ ἀπερίγραπτον *tribuitur creaturæ, non immediatè, ſed interveniente* τῷ λόγῳ.

III. Ars eſt æmula naturæ, ſicut natura DEI.

IV. Artifici in ſua arte credendum eſt.

Cap.

Caput XXIII.

De Perfecto & Imperfecto.

1.

DEniqve ex bono derivantur seqventes affectiones Entis, nempe 1. Perfectum & Imperfectum. 2. Completum & Incompletum. 3. Absolutum & Respectivum. 4. Permanens & Succesivum, *ut nonnulli censent atq; enumerant Metaphysici, qvorum methodum nos seqvimur. Videsis Combach. cap. 26. Dn. Scheiblerum lib. 1. Metaph. cap. 14. &c.*

2. Perfectum in genere est, cui nihil deest ad suam, qvæ ei debetur, integritatem. *Propterea enim perfectum aliqvod vocamus, qvia non deficit in aliqvo perfectionis genere, qvod adesse debet. Confer. Arist. lib. 4. Metaph. cap. 16. & lib. 10. Metaph. cap. 4.* *Perfectum.*

3. Est autem vel Absolutè Perfectum, vel in certo genere.

Absolutè Perfectum est, qvod in se ultimam suam habet Perfectionem. *Sic Deus dicitur Ens perfectissimum. Aliàs simpliciter* Perfectum *dicitur, cùm nulla Imperfectio in ipso notari possit.* *Absolutè Perfectum.*

Perfectum in certo genere.

4. Perfectum in certo genere est, quod habet perfectionem suæ naturæ debitam. *Sic creaturæ dicuntur perfectæ, in quantum non deficiunt ab aliqua bonitate debitâ. Sic Angeli sunt perfecti. Sic Mundus dicitur perfectum Dei opificium. Sic & homines dicuntur perfecti, quatenus non deficiunt, vel in partibus essentialibus, vel in viribus naturæ debitis, vel in virtutibus, aliisq; perfectionum generibus, quæ in homine esse possunt.*

De Perfectione Transcendentali, Naturali & Morali.

5. *Porrò*, Perfectio est vel Transcendentalis, vel Naturalis, vel Moralis.

Transcendentalis perfectio.

Transcendentalis Perfectio est, quâ Ens dicitur perfectum in sese, quatenus ipsi nihil deest in integritate essendi. *Sic vulgò dicitur, quòd omnis Substantia, quando est, essentialiter perfecta sit: sic & infans transcendentaliter sit Ens perfectum, quia perfectò modò habet essentiam humanam.* Idem de embrione statuunt. Sed hîc non sine causa disquiritur, num illud corpus ratione materiæ suæ dicendum sit perfectum, quod imperfectissimam habet materiam, utpote metalla immatura,

tura, & tenuia in suis venis & mineris qvasi fluentia, qvæ paulatim suo tempore maturantur & perficiuntur. V. g. aurum & argentum in terræ cavernis initiò non habent debitam integritatem, sed progressu temporis maturantur. Similiter plura sunt imperfecta Entia, ut fructus immaturi, v. g. nucleus in nuce virente, qvi qvasi fluidus adhuc spectatur, tanqvam mucus. Sed alius eâ de re differendi locus erit.

6. Perfectio Naturalis est, qvâ rei nihil deest in bonis naturæ, hoc est, qvod vires naturæ obtinet perfectas. *Sic homo robustus sanus, & validioris temperamenti est perfectus naturaliter. Sic infans nondum est perfectus, cùm adhuc non habeat vires naturales, itemq; justâ destituatur qvantitate. Repetantur illa, qvæ suprà dicta sunt de Bono Naturali. Huc pertinet illud Aristot. qvando 4. Metaph. ait*: Perfectum esse unumqvodqve, cùm generat sibi simile. *Huc etiam pertinet perfectum qvantitate, qvod habet sibi debitam qvantitatem, ut homo habens justam longitudinem. Item: Perfectum virtute & facultate operandi, qvod habet vires agendi sufficientes, adeoq; operari potest juxta suam naturam, uti debet.* *Naturalis.*

Moralis. 7. Perfectio Moralis est ipsa virtus moralis, & honesta ejus operatio, qvando nempe perfectio modo se habet. *Sic homo dicitur moraliter perfectus, qvi eminenter est fortis, justus. Sic dicitur aliqvis habere perfectam scientiam, prout non deficit in iis, qvæ scire debet.*

8. *Notandum verò, qvod* in qvolibet horum Perfectionis modorum *attendi possit* Perfectio vel simpliciter, vel secundùm qvid. *Sic aliqvid habet qvantitatem simpliciter perfectam, ut Mundus; aliud verò in certo genere perfectam, ut corpus humanum debitô modô extensum & proportionatum: Similiter aliqvid virtute seu potentia est Perfectum,* vel simpliciter, *ut Deus,* vel κατὰ τί, *ut Angelus, qvi perfectus virtute est, sed determinatâ & adstrictâ ad naturam Angelicam: sic homo vel Adam ante lapsum erat virtutibus omnigenis perfectus, sed tali perfectione, qvæ cadere poterat in hoc genus, nempe in speciem humanam.*

Perfectum qvomodo sumatur. 9. *Præterea sciendum est, qvod* Perfectum sumatur vel pro eo, qvod excellenter est consummatum, *ita ut ad nobilissimum perfectionis gradum pervenerit: qvomodo Musicus, Tubicen, Orator, Philosophus, vel Pictor, perfectus dicitur, qvi excellit*

cellit in sua arte, & non deficit in aliqua virtute propria: vel Perfectum dicitur omne id, quod habet omnia ad esse suum necessaria, *hoc est, quod non deficit in necessariis perfectionibus. Sic etiam imperfecta Virtus dicitur perfecta, quatenus habet omne id, quod necessarium est ad esse virtutis. Sic Theologi charitatem remissam vocant perfectam, quo sensu dicitur 1. Joh. 1. qui servat verbum ejus, in eo charitas Dei verè perfecta est.*

De Perfectione Partium & Graduum.

10. *Tandem* Perfectio est vel partium, vel graduum. *Illa* dicit Totalitatem partium sibi debitarum. *Sic Logica illa perfecta est, quæ non deficit in aliquâ parte ad ipsam attinente: econtra* Imperfectum est quod caret aliqua parte, *ut Logica Rami dicitur mutila, quia caret parte Logicâ Demonstrationis.* *Perfectio partium.*

11. Perfectio Graduum est, quæ omnibus gradibus debitæ suæ perfectionis gaudet, abundatque quâdam excellentiâ. *Sic qui excellit in Philosophia, dicitur perfectus Philosophus: Sic Cicero vocatur perfectus Orator: Virgilius perfectus Poëta: Sic calor intensus est perfectus.* *Perfectio graduum.*

De Imperfecto.

Imperfectum.

12. Imperfectum est id, quod deficit à debitâ suâ perfectione; quale est omne illud corpus, quod in naturali suo motu tendit ad suam maturitatem & integritatem, *utpote nascentia mineralia & semina immatura, ut videre licet in granis frugum virentium, in nucleis immaturis nucis nascentis, &c.* Huc pertinent grossuli, gemmæ seu oculi surculorum & vitium: labruscæ, primum κύημα, *ut vocat Aristoteles*, in utero concipientis, initiò conceptum, &c. Qualis sit eorum Imperfectio, eruditi & periti exponant velim.

Cæterùm Imperfectio contingit variis modis, vel circa Quantitatem, *ut si sit excessus sive defectus magnitudinis, uti est in monstris. Sic homo nimis parvus est imperfectus, itemq; nimis longus, aut si membra corporis præter consvetudinem naturæ sunt transposita*: *vel* quoad gradus propter admistionem contrarii, quomodo semidoctus dicitur, imperfectè doctus, *quia ejus eruditio habet admixtam ruditatem: Sic aqua tepida dicitur imperfectè calida, quia non excellenter obtinet calorem, sed frigore commistum*: *vel* quoad varia accidentia contingit

tingit Imperfectio: *ut* ratione morum & virtutum, *prout aliquis defectus in illis notari potest*; vel ratione virium naturalium; vel ratione actionum; vel ratione finis, *prout scilicet in his datur defectus.*

De Imperfectione Privativâ & Negativâ.

13. Notabilis est distinctio Imperfectionis, quâ *alia* dicitur Privativa, *alia* Negativa.

Privativa imperfectio.

Privativa Imperfectio est carentia perfectionis debitæ inesse. *Sic cæcitas, surditas, claudicatio in homine sunt imperfectiones privativæ, quia privant hominem aliquo bono, quod adesse debebat, utpote visu, auditu, ambulatione. Sic omne malum tùm Naturale, tùm Morale infert Imperfectionem privativam.*

Negativa imperfectio.

14. Imperfectio Negativa est carentia perfectionis, quæ per naturam inesse non debet in illo, cui negatur. *Sic arbor dicitur imperfectior homine, quod non possit loqui, ut homo: quæ imperfectio est purè negativa. Neq; enim arbor debet loqui, imò si posset loqui, amplius non esset arbor.* Sic omnes Creaturæ dicuntur imperfectæ, quia non habent tantam perfectionem, quan-

quantam habet Deus. *Sed hæc imperfectio propriè non est Imperfectio, verùm potiùs determinata perfectio in specie, & Ente determinato.*

AXIOMATA.

I. Sui perfectionem qvidvis appetit, sed absque sui corruptione. *Ita patet: qvia quicquid est, naturali impetu fertur ad sui conservationem.*

II. Quicquid perfectionis est in Creaturis, etiam est in DEO: *scilicet vel formaliter, vel eminenter aut virtualiter.*

III. Non omnis Imperfectio est pravitas: *nempè illa, quæ est purè negativa: utpote est Nescientia pura, qualis fuit in Christo, dum dicitur crevisse Sapientia. Sic in Adamo ante lapsum fuit Nescientia. Nam ex se non sciebat omnia, qvæ Deus scivit, quia ea sic scire non debebat.*

Caput XXIV.

De Completo & Incompleto.

I.

Completum dicitur illud, qvod habet essentiam totalem in sese terminatam, adeoqve non ordinatur ad per-

perfectionem alterius, ut cum illo faciat Ens per se. *Sic omnis species, aër, aqua, terra, metallum, planta, &c. & omne totum est Ens completum. Videatur Scheiblerus lib. 1. Metaph. cap. 12.*

2. Et hoc vel est absolutè Completum, vel comparatè.

Absolutè Completum est, quod ultimam in suo genere perfectionem tantùm habet, ita ut ad alterius constitutionem ordinatum non sit. *Sic omnis Spiritus absolutus, omnis Angelus, & omnia corpora mixta, metalla, lapides, plantæ, arbores, animalia dicuntur Entia completa.* *Completum.*

3. Comparatè Completum est, quod in suo genere, tametsi sit perfectum, non tamen repugnat ingredi in alterius constitutionem, ut elementa, & principia mixtorum corporum, sal, sulphur & mercurius.

4. *Notandum hic est, quod* Completum *aliud* sit in essendo, *aliud* in subsistendo.

Illud modò definitum est, quod habet essentiam in sese terminatam & absolutam, ut lapides, ligna, herbæ, pisces &c. *In Essendo.*

5. Completum in subsistendo est, cujus subsistentia non completur ab alio, ad- *Completum in subsistendo.*

adeoq; habet subsistentiam ultimatam & independentem : *quomodo supposita & personæ dicuntur Completa Entia ratione subsistendi, ut infrà dicemus.*

Incompletum. 16. Incompletum est, quod essentialiter ad perfectionem alterius terminatur. *Ut partes essentiales*, Materia & Forma. *Sic anima rationalis in homine dicitur Ens incompletum.*

AXIOMATA.

I. Ex duobus completis non fit unum per se : *scil. ut maneant isti duo actus completi, nec induant habitum incompleti.*

II. Completum in essendo potest esse Incompletum in subsistendo. *Sic ignis, prout subsistit in ferro, est completus & perfectus ignis in essentia, interim quia subsistit in ferro, dici solet ratione subsistentiæ incompletus. Sic humana Christi natura est completa & perfecta humanitas, licet non subsistat propriâ subsistentiâ : Sed in λόγῳ & subsistentia divinâ, ita ut una persona sit Deus & Homo, nempè Christus, unus Mediator.*

CAPUT

Caput XXV.

De Absoluto & Respectivo.

1.

Absolutum est, quod caret respectu ad aliud; Idque variis modis se habet, prout respectus in particulari variat, *ut prolixè docet Combachius lib. Metaphys. cap. 16. ex Cajetano Gerhard. de mont. Dom. Constantio Sarnano, &c. Videatur quoque Scheiblerus lib. 1. Metaph. cap. 20.*

2. Est Absolutum vel ratione causæ, vel ratione subjecti, vel ratione objecti, vel ratione termini.

3. Absolutum à causa dicitur, quod non habet ordinem ad aliud, à quo fiat tanquam à causa: *& dicitur nonnullis* effective absolutum, *quomodo præter DEUM non datur Ens absolutum. Hic enim solus à se est, & non ab alia causa. Deinde κατὰ τι* & certo respectu *etiam Angeli & Spiritus dicuntur absoluta Entia à causis, nempè internis,* quia absolvuntur à materia & forma, *hoc est, non constant ex ejusmodi causis internis.* *Absolutum à causa.*

4. Absolutum à Subjecto est, quod non est in alio, tanquam in subjecto. *Sic omnes* *à Subjecto.*

omnes Substantiæ, etiam creatæ & finitæ, absoluuntur à subjectis. Habent enim esse proprium & per se, ut infrà dicetur.

Ab objecto. 5. Absolutum ab objecto dicitur, cujus esse non dependet ab alio, tanquam ab objecto. *Sic quantitates sunt absolutæ ab hoc respectu, ut & omnes substantiæ.*

à Termino. 6. Absolutum à termino est, cujus esse non terminatur ad aliud: *quomodo omnia accidentia absoluta sunt à termino, & opponuntur relatis, quæ sunt in prædicamento relationis. Hoc modo in Logicis* accidentia quædam sunt absoluta, quædam respectiva.

7. Absoluta dicuntur, quod absoluuntur à termino, ita ut illorum esse non terminetur ad alium terminum, & sic illa, quæ sunt in prædicamento substantiæ, quantitatis & qualitatis dicuntur absoluta Entia.

Respectiva verò hoc sensu dicuntur sola & omnia Relata, quæ sunt in prædicamento relationis.

De Respectivo.

8. Respectivum Ens est, quod habet essentiam terminatam aliorsum, sive ad aliud. *Ita enim dicitur, quia per se aliud respi-*

respicit, adeoq; in se simpliciter, aliis remotis, esse positivum habere neqvit.

Et hoc vel habet respectum causati ad causam, *qvomodo omnis creatura est Ens respectivum, qvatenus dependet à Creatore, qvem respicit, tanqvam causam*: vel habet respectum accidentis ad subjectum, *ut albedo ad parietem, in qvo est & hæret*: vel respectum habet ad aliud, tanqvam ad objectum, *ut potentiæ naturales, itemq; omnes habitus respiciunt certa objecta & certos actus*: vel *denicq;* habent respectum ad aliud, tanqvam ad terminum. Et hæc propriisimè sic dicuntur, & maximè respectiva Entia sunt. Ideò vocantur Relata per propriam relationem.

De Relatione Transcendentali & Prædicamentali.

9. *Notandum verò, qvod* respectus sive Relatio sit vel Transcendentalis vel Prædicamentalis.

10. Transcendentalis relatio est habitudo realis, essentialiter pertinens ad varia genera Entium. *Transcendentalis relatio.*

Et dicitur exinde Transcendentalis, qvia communitate suâ pervagatur, & transcendit omnia, qvæ esse habent. *Sic*

in genere substantiarum, materia & forma habent inter se veram habitudinem, ita ut forma realiter respiciat materiam, & vicissim materia ordinetur ad formam recipiendam. Sic omnis creatura transcendentali respectu refertur ad Creatorem. Sic omne accidens habet respectum transcendentalem ad substantiam.

Prædicamentalis relatio.

II. Prædicamentalis relatio est certus modus realis habitudinis, qvi non datur in omnibus, sed saltem in iis rebus, qvæ sunt in prædicamento Relationis: *qvomodo relatio prædicamentalis contradistingvitur absolutis accidentibus, nempe illis, qvæ in Categoria qvantitatis vel qvalitatis collocantur.*

AXIOMATA.

I. Absolutum omnimodè propriè nihil est. *Qvodcung; enim verum Ens est, respicit aliud vel ad minimum, ut Causatum aut Causam: Sic omnis creatura est Ens respectivum ratione causæ, qvia est & dependet ab alio, tanqvam à causa. Similiter & Creator infert respectum ad creaturam.* Intellige verò respectum transcendentalem, non verò prædicamentalem. Item q; Relationem rationis, non realem.

II. Non

II. Non omne respectivum est accidens: *qvia etiam datur respectus substantiæ ad aliud, utpote causati ad causam: item respectus modorum ad subjectum, ut personalitas ad naturam habet respectum transcendentalem.*

III. Respectus Transcendentalis obtinet in omnibus Entium generibus: *qvia nullum Ens dari potest, qvod non transcendentaliter aliud respiciat.*

IV. Respectus Transcendentalis non facit compositionem cum re ipsa, cujus est respectus: *qvia realiter non distingvitur. Neqve etiam semper ex parte rei differt à natura, cujus est respectus.* Imò relatio per se nullibi facit compositionem, *ut paternitas non facit in homine, qvi pater dicitur, compositionem: Similiter nec Dominus, Maritus, Civis, Præceptor, &c.*

Caput XXVI.

De Permanente & Successivo.

ENs Permanens est, qvod non habet partes in fluxu unius ad aliam abeuntem. *Ut omnis Substantia, omne corpus, qvantitas propriè dicta, qvalitas, Relatio, Qvando, Ubi, Situs, Habere.*

Ens successivum est, qvod habet partes sui esse in fluxu, qvo partim abiit, partim est, partim erit. *Ut motus & tempus. Videatur Scheibl. lib.1. Metaph. cap.19.*

AXIOMATA.

I. Qvicqvid est Ens successivum, id debet habere partes. *Si namq; simplex & indivisibile Ens est, non poterit ejus esse per partes acqviri, adeoq; nec successione aliqvâ poterit continuari.*

II. Omne Ens successivum debet habere aliqvid de esse suo, qvod præteriit, & aliqvid, qvod futurum est. *Ita patet, qvia successio semper fit cum & in tempore, qvod necessariò involvit præteritum & futurum.*

III. Ens successivum non potest partes suas habere simul in eodem momento. *Nam qvando prior pars fit, posterior nondum esse debet in successione. Aliàs non esset successio, vel continua acqvisitio partis post partem.*

IV. Omne Ens successivum est continuum: *qvia ejus esse per acqvisitionem continuatam producitur, ut patet in motu, mutationibus, actionibus, passionibus, & in tempore.*

Caput

Caput XXVII.

De Subjecto & Adjuncto.

I.

HActenus fuêre primaria Entis attributa. Secundaria sunt 1. Subjectum & Adjunctum: 2. Signum & Signatum, 3. Mensura & Mensuratum. *De qvibus hîc sub finem Metaphys. General. agere placuit, cum omninò generales Metaphysici termini sint, & alius commodior locus non suppetat: Interim de ordine nemini litem intendimus. Videatur Scheibl. lib. 1. Metaph. cap. 23. 24. & 25.*

2. Subjectum est, qvod præter suam essentiam aliqvid in se recipit. *Ut substantia est Subjectum accidentium, qvia hæc in illa recipiuntur & subjectantur. Sic paries est Subjectum coloris, albedinis, nigredinis.* *Subjectum.*

3. Est autem Subjectum vel Inhæsionis, vel Considerationis, vel Prædicationis.

Subjectum Inhæsionis in genere dicitur omne id, cui aliqvid inesse dicitur. *Subjectum Inhæsionis.*

Variis modis qvædam dicuntur inesse. Primò autem dicitur *Subjectum Inhæsio-*

hæsionis per inhærentiam propriam: *qvamodo substantia creata est Subjectum inhæsionis propriè dictum, qvatenus ipsi inhærent accidentia. Ut in substantia Angeli inhæsivè sunt Voluntas, Scientia, Intellectus. In corpore qvantitas est, motus est,* in anima facultates & potentiæ, qvæ propterea dicuntur facultates animæ, qvòd in ipsa sint, tanqvam in primo subjecto. Deinde Subjectum inhæsionis ita dicitur κατ' ἀναλογίαν, qvomodo illa, qvæ adhærent vel circumstant, vel circumdantur, insunt tanqvam in Subjecto inhæsionis. *Aliàs dicuntur* Subjecta adhærentia, sive adhæsionis: *Item,* Subjectum adjacens: *Item,* Materia in qva. *Sic cathedra est Subjectum ejus, qvi stat in cathedra. Sic mensa eorum Subjectum est, qvi assident.*

4. Est autem Subjectum Inhæsionis vel Totale, Primarium, sive Denominationis; Vel Partiale, Secundarium & Informationis.

Subjectum Denominationis.

5. Subjectum Denominationis est, qvod denominatur ab adjuncto suo. *Ut homo est Subjectum doctrinæ: Corpus qvantitatis. Nam homo per doctrinam denominatur doctus, & corpus per qvantitatem dicitur qvantum.*

6. Hinc

6. Hinc est illud, qvod vocatur Subjectum, ut qvod. Et hoc principaliter & propriè sustinet accidentia, estq; semper substantia.

7. Subjectum Informationis est, cui per se directè inhæret Adjunctum. *Ut anima est Subjectum eruditionis & doctrinæ: In hac enim directè est eruditio, hancq; informat: Sic materia est Subjectum qvantitatis, qvia materiam accidentaliter informat qvantitas.* *Subjectum Informationis.*

8. Huc pertinet id, qvod dicitur Subjectum, ut qvo, qvia est medium, qvo mediante inest accidens toti composito. *E. gr. Paries est Subjectum*, ut qvod *albedinis*; *sed superficies est Subjectum*, ut qvo, *qvia mediante superficie inest albedo parieti.*

9. *Porrò* Subjectum ut qvod, vel est Universale, vel Particulare.

Illud dicitur πρῶτον δεκτικὸν, in qvo ineſt Adjunctum primò, adæqvatè, & reciprocè, ita ut æqvè latè pateat cum suo Adjuncto. *Sic homo est primum Subjectum disciplinæ, risibilitatis, docilitatis. Sic corpus est universale Subjectum qvantitatis: Sic Ens est primum Subjectum unitatis, veritatis, bonitatis transcendentalis.*

10. Particulare Subjectum est secundarium, qvod est angustius suo Adjuncto & inadæqvatum. *Sic homo est Subjectum qvantitatis: sic paries dicitur albus.*

De Subjecto Tractationis & Prædicationis.

Subjectum Tractationis. 11. Subjectum Tractationis sive Considerationis est id, circa qvod occupatur aliud. *Alias vocatur* Objectum. *Sic color est Subjectum visûs: Sonus est Subjectum auditûs. Sic corium est sutoris objectum: Sic qvævis disciplina versatur in certo Subjecto: ut Physica in corpore naturali: Metaphysica in Ente.*

Subjectum Prædicationis. 12. Subjectum Prædicationis est prior pars, seu antecedens Enunciationis, uti exponitur *in Logicis.*

De Adjuncto.

Adjunctum. 13. Adjunctum est id, qvod alteri tanqvam subjecto adjungitur, sive sit substantia, sive accidens. *Sic gladius est adjunctum militis: Professor est adjunctum cathedræ. Sic sponsa est adjunctum sponsi: Sic libri sunt adjunctum mensæ, in qva jacent.* Huc referri solet *Accidens*, qvod vulgò dicitur *Adjunctum Substantiæ*; idq; vel *Proprium* est vel *Commune.*

Pro-

Proprium dicitur ἴδιον πάθος, affectio, proprietas, Adjunctum proprium, idioma. Sed in Log. de iis omnibus rectiùs agitur. *Commune Proprium.*

AXIOMATA.

I. Quod non existit, nequit esse Subjectum, *hoc est*, Non-Entis nullæ sunt affectiones: *Ut ex suprà dictis constare potest. Sic in Logicis falsò dicunt Ramistæ, Non-Ens esse Subjectum. Quid enim Logicus consideret in eo, quod planè non est.*

II. Receptivum non recipit ad modum imprimentis, sed ad modum receptibilitatis, quæ est in recipiente. *Nam quodvis recipit aliud juxta suam propriam dispositionem. Sic licet Præceptor doceat acutissimè, non tamen semper discipulus evadit eruditus, quia ipsius intellectus non semper æquè recipit. Sic calefactio aliter recipitur in cera, aliter in luto.*

III. Recipiens debet esse denudatum à natura recepti. *Rectè Scalig. Exerc. 307. sect. 13. ait*: quod recipit, nudum debet esse eâ re, quam recipit, & omni naturâ ejus. *Dico sanè nihil extrinsecùs recipere, quod habet idem numero. At non recipere idem specie vel analogiâ, falsum est. Ergò axioma loquitur de eo, quod est idem numero.*

IV. Unum numero Accidens non potest esse in diversis numero Subjectis: *quia est impartibile, nec potest distrahi.*

V. Omne proprium πάθος fluit ex essentialibus Subjecti principiis. *Scil. vel remotè, vel proximè. Sic facultas videndi oritur ex anima, quantitas ex materia.*

VI. Proprium unius non potest esse proprium alterius. *Quia uni soli proprium est, interim accidentaliter poterit accommodari ad diversam naturam.*

VII. Proprium per se est incommunicabile, interveniente unione fit communicabile. *Ut calor ignis communicatur ferro, quando ignis unitur cum ferro. Interim observes, quod illa communicatio Proprii non sit inhæsiva; sed saltem* conjunctiva, *& talis, quâ alterum unitum propria alterius quoad operationes habet in sua potestate, ut vita animæ communicatur corpori. Vide supr. cap. 21.*

VIII. Uno propriorum communicato, non statim communicatur & alterum. *Ut ignis communicat ferro splendorem & calorem: non verò levitatem. Sic anima communicat corpori sensum, vitam, non verò spiritualitatem.*

CAPUT

Caput XXVIII.

De Signo & Signato.

1.

VOx Signi in Scripturâ accipitur *Signum.*
1. pro portentis & prodigiis. *Matth. 24. v. 29. Actor. 2. v. 43.* 2. Accipitur pro pœnis, *in quibus singulariter apparet severitas divina.* 3. In Astronomia accipitur pro constellatione & sideribus cœli. *Sic dicuntur signa Zodiaci, qui inde dicitur Signifer.* 4. Signum vulgò significat vexillum militare. *Nobis hoc locò signum est* nota quævis, rem arguens.

Definitur ergò ita:

2. Signum est id, quod potentiæ cognoscenti aliquid repræsentat, *ut prolixè docent Conimbricenses ad lib. de Interpr. cap. 1. Scheibl. lib. 1. Metaph. c. 24. Augustin. lib. 2. de doctrin. Christian. cap. 1.*

Signum est res præter speciem, quam ingerit sensibus, aliud quid ex se faciens in cognitionem venire, *ut cippus, litera, figura. Quæ definitio loquitur de potiss. analogato, & de sensibili signo intelligenda est.*

3. Signum est vel Necessarium, vel Non necessarium.

Illud

Necessarium. *Illud* necessariò cohæret cum Signato. *Sic crepusculum est signum futuræ noctis, aut diei.*

Aliàs talia signa dicuntur demonstrativa, insolubilia, τεκμήρια, κριτήρια, *item:* γνωρίσματα, infallibilia.

Non necessarium. 4. Signum non necessarium est, quod contingenter arguit rem signatam. *Ut pallor est signum amoris. Et talia dicuntur* solubilia, εἰκότα, verisimilia.

Signa alia sunt Naturalia, alia data, *inquit Augustin. d. l.*

5. *Deinde* Signum est vel Nudum, vel unà exhibitivum.

Signum Nudum. Nudum Signum est, quod tantùm significat, & tantùm signat. *Ut hedera est signum vini, vel cerevisiæ venalis. Item, mappa mensæ apposita est signum futuræ cœnæ vel prandii.*

Exhibitivum. 6. Signum exhibitivum est, quod unà exhibet id, quod significat, & *dicitur* μεσάδολον, *ut follis tentus, saccus frumento confertus, poculum vino affluens, aut vas oppletum aquâ, sive scutella operta ferculis insigniorib. repleta. Sic Sacramenta sunt signa exhibitiva, quia simul porrigunt id, quod signant, utpotè sunt organa efficacia regenerationis & gratiæ divinæ acquirendæ. Sic*

S. Cœ-

S. Cœna reverà exhibet corpus Dominicum & sanguinem Christi. Non ergò sunt nuda signa, *ut somniant Calviniani.*

7. *Præterea* Signa sunt *vel* Notificantia, *vel* Commonefacientia, *vel* Obsignantia.

Notificantia Signa sunt notæ, quæ *Signum* rem ignotam indicando patefaciunt, ut *Notis.* statuæ, sepulcra, monumenta, iris, &c. *Sic cans. Theologi disputant de notis veræ Ecclesiæ: Item de signis veræ normæ Controversiarum Theologicarum.*

8. Signa commonefacientia sunt, quæ *Commo-* conservant notitiam rei cognitæ. *Aliàs ne faciens.* dicuntur μνημόσυνα. *Sic S. Cœna est memorativum passionis Christi signum. Sic Testamenta sunt signa commonefacientia.*

9. Signa obsignantia sunt, quæ certi- *Obsignans.* ficant rem cognitam. *Aliàs dicuntur* σφραγίδες, signacula: *Sic Circumcisio est* σφραγὶς *seu signaculum justitiæ, fidei.*

10. *Denig.* Signa sunt vel Prognostica, vel Demonstrativa, vel Rememorativa.

Prognostica signant futurum. *Huc* *Signa Pro-* *referuntur illi Versiculi de die conversionis* *gnostica.* *Pauli:*

Clara dies Pauli bona tempora denotat anni:

Si

Si fuerint nebulæ, pereunt animalia quæq; :
Si fuerint venti, designant prælia gentì :
Si nix aut pluviæ ; designant tempora cara.

Demonstrativa. 11. Demonstrativa Signa dicuntur, quæ signant aliquod præsens : *Ut fumus ignem præsentem. Sic Sacramenta sunt signum gratiæ præsentis, quam scilicet DEUS Christianis offert per Sacramentum & exhibet.*

Rememorativa. 12. Signa Rememorativa sunt memorialia præteritorum. *Ut Cœna Domini est memoriale mortis & passionis Christi. Hæ sunt potissimæ Signorum distinctiones, ex quibus facilè natura & varietas signati dignosci potest.*

Signatum. 13. Signatum nihil aliud est, quàm res, quæ per Signum potentiæ cognoscenti repræsentatur: *Ut ignis est Signatum fumi : Fœdus gratiæ est signatum iridis : Vinum venale est signatum hederæ: Tempestas rubedinis matutinæ.*

AXIOMATA.

I. Non omnia Signa sunt visibilia. *Ut pulsus campanæ est signum cultûs instantis sacri, qui tamen non videtur ; sed auditur.*

Sic

Sic voces dicuntur signa conceptuum: itemq; conceptus sunt signa rerum; planè tamen invisibilia & insensibilia.

II. Signum, quà signum, non importat realem diversitatem à Signato. *Non enim ubiq; & semper realiter distinguuntur Signum & Signatum, sed saltem in quibusdam, ut in sensibilibus, ubi aliud est Ens, quod signat, & aliud, quod signatur, ut in hedera & vino venali. Sed in aliis sæpè fit, ut una res sit signum & signatum. Sic differentia specifica dicitur signum, quo intelligatur subesse natura generica, quæ tamen reipsa unum idemq; sunt.*

Caput XXIX.

De Mensura & Mensurato.

1.

DEnique omne Ens vel Mensura est, vel Mensuratum, *ut eruditè docet Scheiblerus lib. 1. Metaph. c. 25.*

2. Mensura definitur, quâ quantitas mensurati cognoscitur: *Ex Aristot. lib. 10. Metaph. c. 10. Quæ descriptio si vera esse debet, quantitas latè & impropriè accipienda est, ut etiam virtutis quantitatem significet. Nos ita definimus:*

3. Men-

Mensura.

3. Mensura est, quâ conditio, aut habitudo alterius exigitur. *Prout enim aliquod Ens manifestat alterius vel perfectionem, vel quantitatem, ita quidem, ut ad illud exigatur, vel per illud exploretur habitudo ejus, inde solet vocari Mensura. Vide Svaretz. disp. 40. Metaph. sect. 2. & disp. 50. sect. 2. num. 7. & sect. 10. &c.*

4. Aliàs vocatur Norma, Canon, Regula. Sic leges vocantur mensura & norma agendorum, & vitæ regula.

5. Primò quidem mensura & norma intelliguntur de quantis rebus: Sic in mechanicis norma est instrumentum, quo anguli exiguntur, ut γνώμων, quasi γνώρισμα, quod cognoscere faciat angulorum habitudinem, Ein Winckelmas/ perpendiculum & linea. Deinde verò hi termini, mensura & norma, sunt translati etiam ad alias res, ut leges, statuta, & principia disciplinarum dicantur norma vitæ & scientiarum.

6. Hinc triplex est Mensura, 1. Quantitatis. 2. Perfectionis. 3. Cognitionis.

Mensura Quantitatis.

Mensura quantitativa est, quæ quantitatem propriè dictam, utpote molem & extensionem alterius, mensurat atque notificat. *Ut ulna est mensura panni, dum per*

per ulnam exigitur & exploratur longitudo panni, Gnomon & Canon in arte architectonica est mensura architecti. Sic sex unitates sunt mensura senarii, & qvidem adæqvata. Qvando autem exceditur à qvantitate mensurati, tunc mensurat per repetitionem, ita ut vel ter, vel qvater mensura applicetur ad mensuratum. Ut unitas est mensura senarii per repetitionem. Oportet enim unitatem repeti & sexies iterari ad mensurandum: Sic stadium est mensura milliaris, & qvidem per aliqvotam stadii repetitionem; cùm milliare tanqvam mensuratum superet longitudinem stadii.

7. Mensura Perfectionis est regula & norma, juxta qvam de perfectione alterius judicamus; ut: aurum in metallis, pietas in virtutibus. *Sic Deus est mensura omnium. Et inde Creaturæ æstimantur perfectiores, prout propius accedunt ad perfectionem Dei. Sic visus est norma reliqvorum sensuum.* *Perfectionis.*

8. Mensura Cognitionis sunt principia, ex qvibus cognitio alterius dependet & perficitur. Qvalis norma sunt res ipsæ, qvæ cognoscuntur. *Etenim cognitio nostra pendet à rebus; non autem res à* *Cognitionis.*

cognitione. Unde veritas cognitionis mensuratur ex convenientia ad rem ipsam.

9. Alii Normam distingvunt in Architectonicam, Doctrinalem & Moralem.

Architectonica norma est instrumentum mechanicum, qvo effectio operis dirigitur & conformatur. Vocari potest ποιήσεως norma.

10. Doctrinalis norma est principium cognoscendi, qvo theoria & doctrina rerum conformatur.

Moralis norma sunt leges agendorum, mandata, præscripta, & regulæ vitæ.

11. Cæterùm proprietates mensuræ & normæ sunt; ut sit 1. nota, satisq; cognita. 2. Sit certa & infallibilis. 3. Indivisibilis, nec additionem nec diminutionem admittens. 4. Sit adæqvata suo normato, nec angustior, nec latior. 5. Sit proportionata suis rebus mensurandis, ut habeat proportionem & convenientiam cum iis, qvæ mensurare debet.

Mensuratum. 12. Mensuratum dicitur illud, qvod normatur ab alio. *Ut qvantitas panni normatur per ulnam; Longitudo diei exigitur ad horologium, vel ad motum Solis: Item*

Co-

Cognitio nostra exigitur, & mensuratur ab ipsis rebus.

AXIOMATA.

I. Omnis mensura notior est mensuratô. *Qvippe debet notificare mensuratum. Qvomodo autem notificabit aliud, nisi in se sit nota, certa & cognita?*

II. Primum in unoqvoqve genere est mensura reliqvorum. Arist. lib. 10. Metaph. cap. 2. *Intelliges verò* Primum ratione dignitatis & nobilitatis, *ut idem sit, qvod* perfectissimum. *Hoc enim* Primum *est mensura perfectionis, juxta qvam exigitur perfectio illorum, qvæ cum ipso sunt ejusdem generis. Sic homo vocatur Regula, sive Mensura viventium. Nam qvò propiùs viventia accedunt ad perfectionem hominis, eò etiam perfectiora æstimantur. Sic animalia bruta sunt perfectiora arboribus & plantis, qvia magis conveniunt cum perfectissimo vivente, qvod est homo,*

III. Mensura est qvid unum & indivisibile. Arist. lib. 10. Metaph. cap. 2. *hoc est,* Mensura ita se habet, ut de illa nihil detrahi debeat, neq; etiam aliqvid addi. *Ut ulna est indivisibilis ratione mensuræ. Nam si ipsi aliqvid addatur, vel dematur, amplius non erit vera ulna; sed adulterina.*

IV. Mensura est homogenea Mensurato. *Aristot. ibid.cap.1. Sed debet esse convenientia & proportio certa inter mensuram & mensuratum. Sic per ulnam non possum mensurare longitudinem diei, qvia non est proportio & homogenea natura inter diem & ulnam. Igitur per motum horologii normamus longitudinem noctium, dierum, actionum.*

V. Mensura sit infallibilis & certa. *Qvalis enim norma, tale & normatum est, propter omnimodam convenientiam & æqvalitatem. Ut igitur certitudo mensurati sive normati constet exactius, necessum erit, ut norma sive mensura sit certa & infallibilis. Sic Spiritus privatus; item traditiones humanæ, non possunt esse norma fidei, qvia non habent infallibilem certitudinem: sed adhuc dubitatur de bonitate & veritate. Igitur* sola Scriptura erit mensura articulorum fidei: *qvia sola est infallibilis & authenticæ authoritatis.*

Finis Partis Generalis Metaphysices.

LIBER

LIBER III.

In qvo continetur

PARS METAPHYSICÆ SPECIALIS, SEU PROPRIA.

De

Summis rerum Generibus, Substantiis & Accidentibus.

CAPUT I.

De Substantia, ejusq; Speciebus.

1.

LUstravimus hactenus in parte Metaphysicæ generali, tùm Entis theoriam, tùm universalissima Entis attributa, qvibus per modos varios intrinsecos simplices & conjunctos denominabatur Ens & omne Ens; Nunc sequitur, ut in Parte Speciali Metaphysices *agamus* de summis rerum generibus, sive qvasi speciebus Entis, *de Analogatis istis inferioribus, substantiâ & accidentibus, ad qvæ Ens modô specificô qvasi contrahitur,*

& ita in particulares Entis qvidditates dividitur.

Entis species analogæ sunt. Duo nimirum sunt genera Entis κατ' ἀναλογίαν *sic dicta, sive Analogata inferiora, substantia & accidens, qvæ indigitantur in vulgato versiculo:*

Summus Aristoteles trutinando cacumina rerum,
In duo divisit, qvicqvid in orbe fuit.

Substantia & Accidens. Qvandoqvidem *Omne Ens verum & reale in particulari semper est Substantia vel Accidens. De his igitur tanqvam summis rerum generibus, & analogatis Entis nunc porrò agendum erit.*

Substantia. 2. Substantia est Ens subsistens. *Ut enim Accidentis esse est inesse: Sic substantiæ esse est per se esse, & non in alio esse, instar accidentis sive inhærentis. Et hoc est subsistere:* ut ita formalis ratio Substantiæ sit Subsistentia propria, propter qvam illud Ens, qvod est Substantia, non est in alio, tanqvam in subjecto, sed per se & in se proprium esse obtinet.

EXEGESIS.

Τὸ Subsistere sumitur generaliter. *Notandum, qvod* τὸ Subsistere *duplici modô sumatur:* 1. Generaliter, *pro tali modo existendi, juxta qvem res existit per se & non in alio, cui tanqvam Subjecto ita innititur,*

tur, ut per suam essentiam nec unqvam fuerit, nec esse posit sine illo. Et sic formalis ratio Substantiæ est Subsistentia. Hæc enim generalis Subsistentia opponitur inhærentiæ, qvæ est propria accidentis. *Rectè enim monet D. Jac. Martin. in Part. libr. 2. sect. 4. Qvod Substantia notet certam existentiæ formam & rationem, ipsis Substantiis propriam, qvâ ita dicuntur existere, ut ad sui productionem non indigeant alio Ente præter principia substantialia.* *Aliàs* Generalis illa subsistentia substantiarum explicatur Negativè, ita ut subsistere sit non esse in alio, tanqvam in subjecto. *Etenim Substantia subsistit, & per se existit, qvia non inhæret alteri, sine qvo esse non posit.*

II. Subsistentia accipitur Specialiter, qvomodo καθ' ἑξοχὴν hypostatica subsistentia & suppositalis intelligitur, *& sic speciatim loqvendo subsistentia sumitur* pro modo subsistendi perfectissimo, ultimoqve completa subsistentia, *qvæ non nisi suppositis & personis convenit, ut mox dicetur infrà.* *Speciatiter.*

Cæterùm Substantia vulgò variè definitur. Communissima & tritissima definitio ista est: *Substantiæ definitiones varia.*

Substantia est Ens, qvod habet proprium esse, & sustinet accidentia. *Sed hoc posterius per accidens est in qvadam substantia particulari, nempe in Creata & Finita, qvòd hæc accidentibus veris sit prædita.*

Solet & ita definiri:

Substantia est Ens, qvod non est in alio tanqvam in Subjecto: *qvæ descriptio concedi potest, modò* esse in Subjecto *ita accipiatur, ut id, qvod inest, non sit pars rei, & omninò esse non possit, nisi in illa re. Sic enim qvia sola accidentia hærent in Substantiis, tanqvam in Subjecto, rectè dicitur, qvòd* generaliter nulla Substantia sit in alio, tanqvam in subjecto.

2. *Hinc completa Substantiæ definitio talis conficitur:*

Substantia est Ens subsistens, qvod reverà esse habet in seipso, nec est in alio, tanqvam in Subjecto.

De Substantia Completa & Incompleta.

Substantia dividitur in Incompletam & completam.

3. Substantia est vel incompleta, vel completa.

Illa est pars compositi & speciei, *ut Materia & Forma Physica. Sic anima rationalis est Substantia incompleta, qvia saltem pars est speciei humanæ.*

4. Sub-

4. Substantia completa est totum & species perfecta, *ut omnis species & corpora in sese & per se existentia. Confer illa, quæ suprà dicta sunt de Ente completo.* *Completam.*

5. Cæterùm Completa Substantia in genere dividitur in Universalem & Singularem, sive secundam & primam. *Completa Substantia in genere.*

Substantia Universalis est, quæ universaliter concipitur, semperque est vel Species vel Genus, *ex prædicamento Substantiarum, ut: corpus, cœlum, ignis, aër, aqua, terra, lapis, ferrum, animatum, corpus, arbor, pyrus, pomus, animal, homo. Et hæc* Substantia universalis *in Logicis communiter appellatur* Secunda, eò quòd de pluribus subjectis dicatur, licet in subjecto Physico nullo hæreat. Sic autem describi solet:

6. Substantia secunda & universalis est Ens universale in genere substantiarum: quod aptum natum est pluribus inesse, & de pluribus dici per modum generis vel speciei. *Secunda Substantia.*

De Substantia Prima s. singulari.

7. Substantia Singularis est substantia, extra intellectum existens, & Ens unitate numericâ determinatum, *ut supra dictum est de Ente singulari.*

Aliàs vocatur Individuum subſtantiale, vel res ſingularis in prædicamento ſubſtantiarum. *Item, Logicis appellatur* Subſtantia prima. *Hæc enim nihil aliud eſt, quàm* individuum ſubſtantiale, vel Subſtantia ſingularis, quæ neq; de Subjecto dicitur, neque in Subjecto aliquo Phyſico hæret. *Ariſt. lib. Categor. ſect. 5. Item in Categoria ſubſtantiarum.*

Subſtantia prima.

8. Subſtantia prima ſive ſingularis vel ſubſiſtit naturali ſuo ſtatu, ut ultimò ſit completa in ratione exiſtendi. *Quæ uſitato nomine appellatur* Suppoſitum & Perſona: Vel præter ſtatum naturalem exiſtens ſit incompleta ratione ſubſiſtendi: *quæ nuda eſt Subſtantia Prima, ſingularis & individua, eaq; perfecta quidem & completa* in eſſendo ſive eſſentia, *non tamen ultimò Completa in* Subſiſtendo, *cùm dependenter ſubſiſtat in alio & ab alio unito. Sic multæ dantur Subſtantiæ primæ* in eſſentia completæ & perfectæ, quæ tamen non habent perfectam ultimatam & independentem ſubſiſtendi conditionem. *V. g. Elementa in mixtis corporibus, ſal in aquâ ſalsâ & mari. Sic ignis in ferro ignito ſubſiſtens eſt quidem individuus & ſingularis ignis, adeoq; Subſtantia prima: Interim iſte*

Suppoſitum & Perſona.

Subſtantiæ primæ in modo ſubſiſtendi Imperfectæ.

iste ignis non subsistit independenter ab alio, verùm à ferro, in quo est, dependet in subsistendi modo, ut ita subsistat in supposito ferri. Huc referri quoq; solet poculum deauratum, *in quo est aurum, idq; individuum substantiale, quod tamen dependeat in subsistendi modo, à poculo, & subsistat in poculo, ita ut unum suppositum constituant aurum & poculum.*

Sic Humana Christi natura est Prima Substantia, in essendo completa humanitas, non tamen est propria Persona distincta à Persona τῦ λόγυ, sed subsistit in Persona τῦ λόγυ, ita ut Deus & Homo constituant unam Personam, nempè Christum. Unus enim Mediator est, & unus Christus, adeoqve una Persona Christi.

9. *Quod si verò* Substantia prima completa sibi relinquatur, & in statu proprio naturali subsistat, tum, ut paulò ante diximus, vocatur *suppositum vel persona.*

De Supposito & Persona.

Necessaria est doctrina de Supposito & Persona, quæ ut faciliùs & rectiùs intelligatur, sedulò & diligenter

10. *Observes, quòd* Suppositum & Persona

na sumantur vel in Concreto vel in Abstracto. *In Concreto ita describuntur:*

Suppositum in Concreto. Suppositum est Substantia perfectissimo modo per se subsistens non includens unionem ad aliud, nec habens dependentiam ab aliquo sustentante. Item:

Suppositum est Substantia Prima completa incommunicabilis, quæ non sustentatur ab alia vel in alia, *hoc est*, quæ incommunicabili & independente modo subsistit. *Sic omne corpus in se & per se subsistens, quod non sustentatur ab alio unito, est suppositum, ut omnes arbores, plantæ, herbæ, sic omne animal, omne brutum sibi relictum est suppositum, ut equus, canis, gallina, passerculus.*

Hinc est porisma hoc: *Quicquid non sustentatur ab alio unito, illud est suppositum.*

Et contra, quod ab alio unito dependet, illud est in Supposito alterius, adeoque suppositatum.

Persona quid.

Persona in Concreto. 11. Persona in concreto est substantia Prima completa incommunicabilis, intelligens: *hoc est, ut habet communis definitio:*

Persona est Substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab vel in alio.

12. *Sic*

12. *Sic ergò* Suppositum & Persona sunt unum & idem ferè. Differunt saltem ratione naturæ sive subjecti: ita ut Suppositum sit latius, *& in omnibus completis substantiis per se ultimatè, hoc est, independenter subsistentibus, sive sint rationales, sive irrationales, obtineat: Sed* Persona tantùm est in rationalibus & intelligentibus naturis completè subsistentibus, utpote in hominibus, Angelis, & in Deo. *Sic omnis homo in se & per se independenter subsistens dicitur Persona, ut Petrus, Paulus. Sic omnis Angelus est Persona. Igitur* Persona strictior est suppositio, & determinata ad substantiam intelligentem, *adeò ut verè dixeris*, personam esse suppositum intelligens. *Suppositum & Persona quomodo differant.*

13. *Verùm accuratiùs* in abstracto consideratur Suppositum & Persona, ita ut ipsa Suppositalitas & Personalitas exprimatur *hoc modo:*

Suppositalitas quid.

Suppositalitas est Subsistentia incommunicabilis Substantiæ Primæ completæ. *Planiùs dico ita:*

Suppositalitas est modus subsistendi perfectissimus, independens & ultimatò completus, quo Substantia Prima Com- *Suppositalitas.*

Completa per se independenter subsistit, ita ut cum alio non possit uniri, ut communem subsistentiam ab alio accipiat. *Et hinc est, quod* incommunicabilis dicatur Subsistentia.

Personalitas quid.

Personalitas. 14. Personalitas est Subsistentia incommunicabilis naturæ intelligentis. *Vel:*

Persona in abstracto est Modus subsistendi perfectissimus, quo Substantia Prima, Completa, intelligens independenter subsistit. *Et hæc* Personalitas ubi est, ibi facit veram Personam. *Sic sunt Tres Personæ in una Essentia Divina, quia sunt tres Subsistentiæ perfectissimæ, quibus natura divina intelligens, tanquam distinctis personis, subsistit.*

De Substantia Spirituali & Corporali seu Materiali.

15. *Deniq;* Substantia in specie dividitur in Spiritualem & Corporalem.

Illa communi nomine dicitur Spiritus, qui est Substantia expers omnis materiæ & formæ.

Aliàs forma abstracta dicitur, quod secundùm essentiam est abstractum Ens ab

ab omni materia. Vocatur etiam Intelligentia, & mens abstracta. *Spirituales.*

16. Est autem Substantia Spiritualis vel Infinita, vel Finita.

Infinitus Spiritus est solus Deus. *Hic enim, uti infinitum Ens est, ita etiam infinitam spiritualitatem obtinet.* Deus est Spiritus. *Johan. 4.* In Philosophicis appellatur Intelligentia prima infinitæ essentiæ & sapientiæ interminabilis.

17. Finita substantia spiritualis sunt Angelus tàm Bonus, quàm Malus, Intelligentiæ & Animæ rationales. *Finitæ Substantia.*

De quibus Spiritibus omnibus peculiaris aliqua, eaq; distincta disciplina omnino constituenda est & excolenda, quæ haud immeritò dicitur Pnevmatologia, *eò quòd circa πνεύματα versatur, tanquam circa suum objectum adæquatum.* Licet enim hactenus de spiritibus in parte speciali Metaphysices fuerit actum, id tamen non nisi per accidens & ex mente Aristotelis factum scimus. *De Spiritibus in Pnevmatologia agi debet.*

Non pauca, nec exigua sunt, quæ ibi traduntur de naturali Dei & Angelorum notitia. *Confer modò Pnevmaticam nostram novam edit. quart. libr. 2. cap. 2. pag. 82. seqq.* Mira & veneranda Gentilium

lium Philosophorum dogmata invenies de Deo, ejusque existentia, unitate, veritate, bonitate, omniscientia, omnipotentia, omnipræsentia, providentia, nec non cultu divino. *Legantur ea in libr. 2. Pneumat. cap. 3. quæst. 4 pag. 200. 242. &c.*

Ut ergo distinctius & exactius de Deo, de Angelis, & de Anima rationali, distincta in disciplina præcipiatur, reservabimus ea, quæ particulariter de natura spirituum cognosci possunt, ad particularem scientiam, cujus proprium erit de his disquirere, quantum potest, non secus ac aliæ disciplinæ particulares de suis agunt objectis distincte in particulari.

De Materialibus Substantiis & Corporibus.

16. Substantia Corporea appellatur corpus, quod est materialis substantia, constans ex materia & forma.

Corpus autem multiplex est, tum simplex, *ut cœlum, astra, & elementa*, tum mixtum, *ut metalla, mineralia, & lapides*, tum animatum & vegetans, *ut herbæ, planta, gramina, arbores*, tum animalia bruta, *pisces, aves, bestiæ terrestres*, & denique homo, qui

qvi est omnium perfectissimum, & μακρόκοσμος appellatur.

Sed de Corporibus ejusq; partibus, & speciebus distinctè agi solet in Physicis *Ubi plura videantur.*

AXIOMATA.

I. Commune est omni Substantiæ, non esse in Subjecto: hoc est, *Nulla Substantia per realem inhærentiam inest alteri, ut qvid extrinsecum, & realiter distinctum ab illo Subjecto, cui ita inest, ut non sit ejus pars, in qvo est, neqve tamen extra illud esse qveat.*

II. Substantia nulla est, qvæ propriâ destituatur operatione. *Semper enim efficax est, & habet rationem formæ & actûs alicujus. Aliqva igitur activitas ipsi conveniat oportet.*

III. Substantiæ nihil est contrarium: *Scilicet qvatenus substantia est & terminativè: Interim mediantibus qvalitatibus contrariis etiam Substantiæ aliqvid poterit esse contrarium. Ut lupus contrariatur ovi, & contrà: Item: Substantia potest esse subjectum contrariorum: Ut aër successivè & calidus & frigidus esse potest.*

IV. Una numerô Substantia est Susce-

ptiva contrariorum: *Sed diversis temporibus. Ut homo & sobrius & ebrius esse potest: Sic & aqva est modò frigida, modò calida.*

V. Substantia non recipit magis & minùs: *hoc est, substantia una secum dùm esse substantiale, non est magis substantia, qvàm altera. Sic unus homo senex non est magis homo, qvàm homo juvenis: nec dives magis homo est, qvàm pauper, utut major sit qvantitate.*

VI. Nulla Substantia per se incurrit in sensum: *Interim mediatè & per aliud sentiri poterit. V.g. Anima hominis per se non auditur, nec immediatè sentitur: attamen per operationes & effecta sua optimè auditur, ut per loqvelam: Item, per facultates ratiocinandi, discendi, docendi, ridendi, consultandi.*

Caput II.

De Accidentibus in genere, & de Qvantitate in specie.

Fluit doctrina Substantiarum universalis, in qvantum ea spectat ad Metaphysicam: Nunc

Nunc seqvitur, ut eodem tramite lustremus accidens, qvod est alterum summum Entis genus.

Vox accidentis *sonat qvasi* ad cadens, *qvia* cadit ad illud, *tanqvam ad Subjectum*, *vel qvia* accedit ad Subjectum, *actu perfecto constitutum*, cui inhæret per veram & realem inexistentiam. *Vox Accidentis.*

Hinc ita definitur:

2. Accidens est Ens reale simplex, per se non subsistens, sed qvod esse suum habet in alio, tanqvam subjecto. *Accidens qvid.*

Notes ergò, qvod natura Accidentis dupliciter explicetur: 1. Negativè, *qvod* sit Ens nō subsistens, *cùm solius substantiæ sit subsistere, ut modò dictum.* 2. Positivè vel Affirmativè, *qvòd Accidens sit ejusmodi Ens*, qvod esse suum habet in alio, tanqvam in subjecto, *hoc est, qvòd Accidens* hæreat in Substantiâ, inexistat, & innitatur in existentia alteri subjecto, *à qvo dependet* in fieri, *ut fluat ex substantia*, in esse, *ut naturaliter esse non possit, nisi sit subjectivè in Substantia, & denig.* in operari, *ut operationem omnem perficiat in virtute substantiarum.*

3. *Prætereà hoc loco qvàm diligentissimè observandum est, qvòd hic sermo sit* de Accidente *Prædicamentale Accidens*

cidente prædicamentali, de eo nempe nunc agitur, qvod ſubſtantiæ opponitur, & ſemper eſt in aliqvo prædicamento Accidentium: *Neqvaqvam verò hîc agitur* de Accidente prædicabili, qvod ita dicitur, qvia accidentaliter, contingenter & communiter prædicatur. *Nam tale Accidens etiam Subſtantia eſſe poteſt, ut ſi dicatur*, menſa eſt lignea, ferrum ignitum. *Qvâ de re Logici in doctrina paronymorum, & communiter in doctrina proprii & accidentis præcipiunt.*

De Summis Accidentium Generibus.

Novem ſumma genera Accidentium.

4. Accidens Prædicamentale, *qvod aliàs* Phyſicum & reale *dicitur*, ſubdividitur in novem ſumma genera, *ita ut ſit* 1. Qvantitas. 2. Qvalitas. 3. Relatio. 4. Actio. 5. Paſſio. 6. Qvando. 7. Ubi. 8. Situs. 9. Habitus. *De qvibus ordine agendum, ſed breviter & ſub ratione Entis in univerſali, qvatenus analogata Entis ſunt, & ſumma rerum genera abſolvunt.*

Qvantitas.

5. Qvantitas eſt accidens, qvô ſubſtantia extenditur, ita ut ſit in partes diverſas diviſibilis.

Nam qvantitas 1. dicit Extenſionem mo-

molis, *ita ut habeat partes extra partes.*
2. Conſeqventer infert diviſibilitatem, *nempe id, qvod qvantum eſt & extenſum, ſtatim dividi poteſt in ſuas partes extra ſe mutuò jacentes. V. g. linea dicitur qvanta, qvia primò eſt extenſa, & habet partes extra partes. Deinde verò cùm ita ſit extenſa, etiam poteſt dividi in varias diverſasq; partes, ex qvibus tota conſtat, ut patet in lineis.*

De Qvantitate Continuâ.

6. Eſt autem Qvantitas vel Continua, vel Diſcreta. *Continua.*

7. Continua dicitur Magnitudo, qvæ eſt, cujus partes communi termino copulantur.

Ejus ſpecies ſunt: Linea, Superficies & Corpus: *puta Mathematicum & Qvantitativum.*

8. Linea dicit longitudinem ſine latitudine, *ut ſi qvis ſibi imaginetur lineolam deductam in longum, non in latum.* *Linea.*

9. Superficies conjungit & longitudinem & latitudinem, abſtrahendo craſſitiem, *ut ſi attendas planitiem terræ vel maris.* *Superficies.*

10. Corpus qvantitativum conſtat ex trina dimenſione, *nempe* ex longitudine, latitudine & profunditate, *ut ita hîc in genere* *Corpus.*

nere qvantitatis, corpus dicatur illud, qvod est longum, latum & profundum.

11. Sed de hac continua qvantitate, nempe de Magnitudine, ejusq; speciebus ex professo agit Geometra. *Igitur exactiorem & particularem lineæ, superficiei & corporis qvantitativi, ut & figurarum evolutionem relinqvimus Geometriæ.*

De Qvantitate Discreta & Numero.

Discreta qvantitas.

12. Qvantitas Discreta est, cujus partes seorsim positæ non continuantur, nec copulantur communi termino.

Aliàs dicitur Multitudo, cujus præcipua species est Numerus.

Numerus.

13. Est autem Numerus nihil aliud, qvàm multitudo ex unitatibus collecta.

Unitas illa numerica est, qvæ exprimit partem aliqvotam qvantitatis discretæ, & multitudinis mensura est.

14. Distingvitur Numerus in Numerantem & Numeratum.

Numerans est numerus formalis ab omni materia abstractus, ideoq; propriè dicitur Arithmeticus, *ut* 2. 4. 5.

15. Numeratus numerus est materialis, hoc est, certæ materiæ applicatus, *ut*: 19. *eqvi.* 20. *thaleri.*

Sed

Sed de Numero, ejusq; unitate ex professo agit Arithmetica, ideoq; ipsi Numerorum explicationem ulteriorem relinqvimus.

Satis inde apparet, qvomodo etiam Matheſis ex prima hac noſtra Philoſophia derivet ſuum Objectum, qvod tùm Geometra, tùm Arithmeticus explicare ſolet.

AXIOMATA.

I. Accidentis eſſe eſt ineſſe. *E dictis. Non enim ſimpliciter ſibi Ens eſt, ſed ſubſtantiæ, cujus eſt affectio & forma accidentalis.* Igitur omne accidens eſt in ſubſtantiâ, tanqvam in ſuo ſubjecto & receptaculo.

II. Idem numero accidens neqvit eſſe in diverſis ſubjectis. *Rectè enim Zabarella de ortu & inter. cap. 9. ait:* Migratio ejusdem numero accidentis ex uno ſubjecto in aliud impoſſibilis eſt.

III. Qvantitatum per ſe nulla eſt efficacia. *Qvia ex materia oriuntur, & naturam materiæ imitantur. Hinc ineptum cenſetur illud, qvod putant de incantationibus magicis, poſſe illas, qvà verba ſunt, & qvatenus nudè recitantur, lædere homines. Licèt enim qvantitates objectivè moveant, non tamen propriè agunt, nec efficaciter operantur.*

IV. In majore qvanto major est virtus: *Item*, in magnitudine plus est virtutis activæ. *Scil. Qvia qualitas in majore qvanto cumulatur, indeq; intensior fit. Sic plura ligna incensa plus calefaciunt, qvàm pauca.*

V. Ubi qvantitas est & figura, ibi necesse est, materiam subjectam esse. *Ratio est, qvia radix & origo qvantitatis est materia, cujus extensio postmodùm variè figuratur per varias figuras externas.*

VI. Qvantitati nihil est contrarium. *Verâ scilicet contrarietate, qvæ est inter terminos se mutuò expellentes ex communi subjecto per veram actionem, qvalis est in solis qvalitatibus.*

VII. Qvantitas non recipit magis & minùs. *Sic ternarius non est magis qvantitas, qvàm binarius, interim major est. Majus enim admittit qvantitas, sed non magis.*

VIII. Res per qvantitatem dicuntur æqvales vel inæqvales. *Sic duo homines eandem longitudinem habentes dicuntur æqvales. Ubi verò unus est major vel longior, alter minor, dicuntur inæqvales.*

Cap.

Caput III.

De Qualitate.

1.

VOx Qualitatis aliàs latissimè patet, ita ut significet quamvis formam tùm substantialem, tùm accidentalem, qua subjectum denominatur quale. *Sic ilia, quæ prædicantur per accidens, dicuntur in quale, ut ferrum est ignitum, animal est rationale. Sed hoc loco qualitas strictè accipitur* pro certo accidente, quod opponitur reliquis Entium generibus.

Ita autem describitur:

2. Qualitas est, per quam Substantia est efficax, & quæ movet sensus. *Vel ita: quid.* *Qualitas.*

Qualitas est accidens, quod subjectum suum ad modum formæ substantialis determinat, qualificat & perficit. *Ut calor in igne, albedo in pomo albo.*

De Speciebus Qualitatis.

3. Sunt autem quatuor Species Qualitatis: 1. Habitus & Dispositio. 2. Potentia Naturalis & Impotentia. 3. Patibilis Qualitas & Passio. 4. Forma & Figura. *Species qualitatis.*

4. Habitus est qualitas naturæ superaddita, & altè impressa, quâ apti sumus ad actiones facilè & cum lætitia obeundas.

das. *Quæ qvalitas tantùm est in Angelis & hominibus, & facilitat potentiam naturalem liberam & indifferentem ad benè expeditèq; agendum, & qvia altiùs sedet, ægrè excutitur.*

De Habitibus.

Habitus varii sunt & multiplices: Alii *insiti* per naturam, alii *infusi* per gratiam, alii *acqvisiti* per curam & labores.

Insiti habitus connascuntur, & *Φύσει* à nativitate statim insunt infantibus, omnibusqve hominibus. *Vocantur ἔμφυτοι, implantati, qvales sunt* notitiæ innatæ, principia congenita, v.gr. Notitia DEI naturalis innata, lex naturæ, &c. *Vid. Pneumat. libr. 2. cap. 2. qvæst. 3. p. 145. & seqq.*

Habitus Infusi dicuntur, qvi divinitùs per influxum solius Dei conceduntur, & naturæ superadduntur, ita ut in nobis non sit aptitudo qvædam naturalis ad ejusmodi habitus acqvirendos. *Sic dona lingvarum in Apostolis miraculosè concessa erant habitus infusi. Sic adhuc hodiè in piis habitus infusi sunt, Spes, Fides, Charitas. De qvibus in Theologia agitur fusiùs.*

6. Habitus Acqvisiti sunt, qvi nostris exercitiis & laboribus comparari possunt,

sunt, ad qvos tria reqviruntur & concurrunt: 1. φύσις seu Idoneitas naturæ. 2. μάθησις seu Informatio, & 3. ἄσκησις seu Exercitatio & usus. *Non enim sufficit, ut à natura sis aptus ad habitum comparandum: sed insuper necessum est, ut excolatur illa potentia naturalis per doctrinam & disciplinam, ubi inprimis vigere debet usus juxta versum:*

Solus & Artifices qvi facit, usus erit.

Porrò habitus sunt vel Intellectuales, vel Morales. *Illi* sunt in intellectu, qvem informant & perficiunt, indeq; & nomen suum accipiunt.

8. Habitus intellectuales sunt vel Instrumentales, *ut Grammatica, Rhetorica, Logica*; vel Principales & Primarii, *qvales qvinq; sunt, uti numerantur ex Aristot. l. 6. Ethic. cap. 3.* 1. Intelligentia. 2. Scientia. 3. Sapientia. 4. Prudentia. 5. Ars.

De omnibus istis in particulari distinctæ agunt disciplinæ, *ut Sapientiam* profitetur Metaphys. itemqve Theologia: *Scientiam* evolvunt Physica, Mathesis & Pneumatologia: *Prudentiam* excolunt Ethici, Politici & Jurisperiti: *Artem* tractant Artifices. Unica illa intelligen-

ligentia (h. e. habitus primorum principiorum formaliter sumptorum) supereſt, de quo habitu peculiaris & diſtincta diſciplina ante hæc tempora non fuit conſcripta, niſi quod nuper ejus Ideam exhibuerit Dn. Gutkius, ſuo tempore & nos in hoc ſcientiæ genere quædam attentabimus, *quorum σκιαγραφίαν aliqualem non ita pridem delibavimus in publ. lectionibus problem. Philoſoph. diſp. 1. quæſt. 7.*

6. Habitus Morales ſunt virtutes Ethicæ, ideoq; *de illis ex profeſſo agit Ethica.*

10. Diſpoſitio refertur ad habitum, tanquam Imperfectum ad Perfectum. *Hæc enim nihil aliud eſt, quàm inchoamentum habitus ſive inchoata qualitas, quâ incipimus eſſe apti & propenſi ad aliquid agendum, ut quando aliquis incepit addiſcere artem canendi, cytharam tangendi, diſputandi, ſaltandi.*

De Potentiis Naturalibus.

11. *Porrò* alteram Qualitatum ſpeciem abſolvunt Naturales Potentiæ & Impotentiæ.

Potentia Naturalis.

12. Potentia naturalis eſt vis & facultas à natura inſita, quâ quævis res fortiter agere poteſt aut reſiſtere. *Sic in anima*

ma sunt potentiæ naturales nutriendi & augmentandi. In animali sunt facultates videndi, audiendi. Sic in homine sunt potentiæ naturales ridendi, consultandi, intelligendi, volendi. Vid. suprà lib. 1. cap. 4. de actu & potentia pag. 98. & seqq.

13. Impotentia naturalis est imbecillitas ingenerata, qvâ ægrè res operantur aut resistunt. *Rectè enim monet Eustachius in summâ Philosophiæ. Tit. de Categ. qvod Impotentia hoc loco non significet privationem, sed debilem potentiam. Et hinc est, qvòd potentia naturalis & impotentia non distingvantur specie. Sic facultas videndi in puero non differt specie à facultate videndi, qvæ est in sene.*

14. Variæ autem potentiæ dantur naturales, tùm in Spiritibus, de qvibus πνευματολογία fusiùs agit: tùm in corporibus naturalibus, de qvibus passim agit Physica. *Videatur Manuale Physicum lib. 2. cap. 2. Item, in part. speciali lib. 2. cap. 1. & alibi passim.*

De Patibilibus Qvalitatibus & Passionibus.

15. Tertiam speciem Qvalitatum constituunt Patibiles Qvalitates, & Passiones,

nes, qvæ ita dicuntur, vel quia cauſſæ paſſionum & perturbationum ſunt, vel qvia effectus perturbationum in corpore & animo.

16. Sunt enim hæ paſſiones nihil aliud, quàm ſubitæ tùm animi tùm corporis perturbationes.

Patibilis qualitas. 17. Patibilis Qualitas eſt, quæ paſſionem aliqvam excitat in ſenſibus vel Internis vel Externis. *Et hæc ſunt objecta ſenſuum, nempè Colores, Lux, Sonus, Odor, Sapor, Calor, Frigus, Humor, Siccitas, Durities, Mollities.*

Affectus. 18. Similiter Paſſiones hîc dicuntur omnes affectus ſubitanei. *Ut: Ira, Amor, Spes, Odium, Pallor, Rubor è verecundia enatus, de quibus omnibus affectibus partim agunt Phyſici in doctrina de Anima, partim Ethici, ut notum eſt. Sic etiam de objectis ſenſuum tùm Phyſici, tùm Optici, tùm Muſici, tùm Medici diſtinctè agunt.*

De Figura & Forma.

19. *Denig;* quarta Qualitatum Species abſolvitur Figurâ & Formâ.

Figura. 20. Figura eſt qualitas extrinſecùs apparens ex quantitatis continuæ diſpoſitione & determinatione orta. *Similiter* & Forma *hoc loco* eſt externa ſpecies, ſeu con-

configuratio corporis, quæ oritur ex partium materialium dispositione, sive ex ordine, proportione, & colore.

21. Figuræ & Formæ vel sunt Naturales, vel Artificiales.

Naturales figuræ sunt in corporibus naturalibus, *ut figura cœli est rotunda, ad quam ferè omnia reliqua corpora vergunt, ut in parte Physicæ generali disputari solet.*

22. Artificiales figuræ sunt in arte factis, *ut est forma mensæ, scamni.* Aliàs ratione essentiæ figura est multiplex, ut sunt lineæ rectæ, curvæ, obliqvæ, diametrales, multilateræ, in triangulis. *De quibus in Geometria.*

AXIOMATA.

I. Qualitates miram habent varietatem effectionum. *Sunt enim quasi instrumenta formarum substantialium, qvibus hæ varias edunt operationes, variosq; producunt effectus. Sic per calorem ignis indurat lutum, & resolvit conglaciata, congregat homogenea.*

II. Qualitati contrarietas maximè cognata est. *Et rectè Aristoteles in prædicamentis ait:* Qualitati inest contrarietas, *non autem omnibus. Sic calor contrariatur frigori, humidum sicco.*

III. Qua-

III. Qvalitas suscipit magis & minùs: *Scilicet ea, qvæ est in prima & tertia specie qvalitatum. Illa namq; possunt intendi & remitti. Sic frigus jam est vehementius & intensius: mox iterum est remissum. Vires hominis affectusq;, ira, amor intenduntur & pedetentim remittunt.*

IV. Qvalitatis proprium est Simile & Dissimile. *Qvippe ob qvalitates subjecta denominantur Similia aut Dissimilia.*

V. Ad habitum acqvirendum tria requiruntur: Natura, Disciplina & Exercitatio. *Hinc sunt illa usu trita:* Ad habitum prævia qvædam naturæ potentia requiritur, *juxta Versiculum*:

Tu nihil invitâ dices, faciesvè Minervâ.

Item, de Exercitatione monet hic versiculus:

Solus &, artifices qvi facit, usus erit.

VI. Habitus reddit faciles & hilares ad operandum. *Unde est illud:* Signum contracti habitûs est facilitas & constantia.

VII. Habitus difficulter amittitur. *Est enim altè impressus.*

IIX. Dispositio absq; habitu esse potest, sed habitus esse neqvit sine dispositione: *Scil. Dispositio præcedit habitum, & est qvasi via ad illum, inchoamentum habitus.*

Cap.

Caput IV.

De Relationibus Prædicamentalibus.

1.

Relatum in Universali dicit respectum aliò terminatum, *ut ipsa vox* RELATI *satis apertè innuit.* *Relati vox.*

Hinc Relatio est ratio referendi unum ad aliud: *qvomodo latè loqvendo, qvævis habitudo, & qvivis respectus ad qvodvis dici potest relatio: ut effecti ad causam, partis ad totum.* *Relatio in genere.*

Et sic *latissimo sensu* Relata sunt vel secundùm Dici, vel secundùm Esse.

2. Relata secundùm Dici sunt, qvæ per se, primò & φύσει sunt Entia absoluta, (nempe in prædicamento aliqvo absoluto) & saltem secundariò ex consequente aliqvem respectum admittunt ad aliud, qvo concipiuntur & explicantur, qvasi sint relata. *Sic scientia refertur ad rem scitam: Sic amor refertur ad rem amatam: sic potentia refertur ad possibilia, intellectus ad verum, voluntas ad bonum. Aliàs dicuntur* nominetenus Relata. *Relata secundùm dici.*

Relata secundùm esse.

3. Relata secundùm Esse sunt, qvæ suâ naturâ dicunt ordinem & respectum ad aliud, ut servus ad Dominum, Pater ad filium. Vocatur Relatio realis, qvæ à Metaphysicis nonnullis statuitur triplex: 1. Subsistens. 2. Transcendentalis. 3. Prædicamentalis.

Relatio Subsistens.

4. Relatio Subsistens dicitur Substantialis, & tribuitur personis SS. Trinitatis, qvæ respectum realem & verum ad se mutuò habent. *Ut Pater ad filium, & Filius ad Patrem. Item, Spiritus S. ad utrumq;, qvia Spiritus est utriusq;, nempe & Patris & Filii.* Ab aliis vocatur Relatio Infinita, *qvam Excell. Dn. D. Henricus Hopfnerus l. 1. Log. c. 7. ita definit:*

5. Infinita relatio est modus ὑπερβατικὸς, & plusqvam substantialis, ac longè altioris ordinis eminenter complectens, qvicqvid perfectionis inest veris relationibus. *Sed hæc Relatio ad Theol. pertinet, & hîc distinctionis gratiâ enarratur, ut à reliqvis eò meliùs discerni qveat.*

Transcendentalis.

6. Relatio Transcendentalis est respectus communissimus, qvi omnia Entium genera pervagatur: *qvalis Relatio est inter terminos Metaphysicos, nempe inter actum & potentiam, inter causam & causatum:*

satum: Dependens & Independens, uti constat ex Generali parte Metaphys.

7. Relatio Prædicamentalis est, qvæ certum Entis genus constituit, adeoq; unicè ad prædicamentum Relationis restringitur. *Aliàs dicitur* inhærens, *qvia instar accidentis hæret in subjecto. Hæc Relatio est hujus loci, & ita describitur:* *Prædicamentalis.*

8. Relatio Prædicamentalis & inhærens est Accidens essentialiter ordinatum ad alium terminum, ita ut totum ejus esse consistat in referri ad aliud. *Sic Paternitas refertur ad Filium, Præceptoreitas ad discipulum, Uxor ad maritum.*

9. *Hinc* Relata prædicamentalia sunt accidentia per talem relationem constituta, ut totum eorum esse sit aliud esse: *Ut emptor totâ suâ naturâ respicit venditorem, servus Dominum.*

10. Qvinqve autem in veris Relatis distinctè debent notari. 1. Relatio. 2. Termini: Relatum & Correlatum. 3. Subjectum. 4. Fundamentum. 5. Ratio fundandi. Qvibus additur Opposita Relatio. Ut ex seq. schemate patet:

Relatio.

Præceptoreitas.

Relatum.	Præceptor.	*Termini.*	Discipulus.	*Correlatum.*
Subjectũ.	Aristoteles.		Alexander M.	*Subjectum.*
Fundamentum.	Eruditio.		Capacitas ingenii.	*Fundamentum.*
Ratio fundandi.	Applicatio eruditionis seu Institutio.		Receptio doctrinæ.	

Discipuleitas.

Oppoſita Relatio.

Relatio. 11. Relatio est ipsa forma abstracta & habitudo realis, ob qvam relatum refertur ad aliud; *ut: præceptoreitas in Præceptore: Discipuleitas in Discipulo; Dominium in Domino; Emptio in Emptore.*

Termini. 12. Termini sunt, inter qvos immediatè versatur relatio, qviq; ad se invicem referuntur, & terminant relationem: *uti sunt Relatum & Correlatum: veluti Præceptor & Discipulus: Dominus & Servus: Emptor & Venditor.*

Subjectum. 13. Subjectum Relationis est Substantia, in qva instar accidentis hæret relatio prædicamentalis. *Aliàs vocatur* Extremum, *itemq;* Fundamentum remotum: *V. g. Filius est in hoc Subjecto, qvod est Isaac & Jacob. Pater erat in alio Subjecto, qvod erat Abraham respectu Isaasi.*

14. Fun-

14. Fundamentum Relationis est causa seu ratio, ob qvam Subjecto convenit relatio: estq; semper accidens aliqvod, nempe vel qvantitas, vel qvalitas, vel Actio aut Passio: *Ut Præceptoreitas fundatur in eruditione: Dominium in potestate imperandi: Paternitas in virtute generativa.* *Fundamentum.*

15. *Denig;* Ratio fundandi est proximum fundamentum, & applicatio veri fundamenti, ratione cujus fundamentum est id, qvod est. *V. g. Applicatio virtutis generativæ est ratio fundandi, cur aliqvis sit Pater. Sic unitas qvantitatis est ratio fundans æqvalitatem.* *Ratio fundandi.*

16. *Porrò* Relata sunt vel Mutua, vel non-Mutua.

Relata Mutua dicuntur, qvando ambo, nempe Relatum & Correlatum habent respectum realem ad se mutuò: *ut Pater & Filius: Dominus & Servus: Præceptor & Discipulus: Maritus & Uxor.* *Relata Mutua.*

17. Relata non-Mutua sunt, qvando ex altera parte realis, & ex altera verò tantùm rationis relatio est. *Ut scientia & scibile: Anima & corpus. Anima qvidem est corporis anima, adeog; realiter refertur ad corpus, sed non ita corpus est ani-* *Non-Mutua.*

mæ corpus : Igitur hoc saltem rationis respectum habet ad animam. Similiter Accidens habet realem σχέσιν ad Substantiam, non autem contrà, Substantia ad Accidens. Sunt ergò Relata non mutua.

Proprietates Relatorum.

18. *Tandem sequuntur* Proprietates Relatorum, quarum sex *à Philosopho* enumerantur: 1. Recipere contrarietatem, *ut quàm maximè apparet in Relatis secundùm dici.* 2. Recipere magis & minùs: quæ tamen duæ proprietates non conveniunt omnibus, sed iis saltem, quæ in qualitate fundantur. 3. Dici ad convertentiam. 4. Esse simul. 5. Mutua cognitio. 6. Se mutuò definire, *ut porrò constabit ex Axiomatibus.*

AXIOMATA.

I. Relatio subjecto addita compositionem realem non efficit. *Item*, Relatio non facit mutationem Substantialem in Subjecto. *Ratio est: Quia nihil ex parte rei distinctum diversumq; superaddit, sed saltem aliorsum quasi trahit rem planè eandem. V. g. quando quis accipit discipulum, tunc fit Præceptor sine omni sui mutatione. Frustrà ergò Photiniani fingunt aliquam compositionem ex distinctis relationibus.*

II. Re-

II. Relatio potest à Subjecto tolli, non tantùm eo salvo manente, sed qvoqve in se nihil mutato sive alterato. *Sic si moriatur uxor, tollitur relatio mariti ad uxorem, ipso nihilominus existente immutato.*

III. Relata se mutuò constituunt. *Dicuntur enim sibi mutuò esse causæ. Sic Pater constituitur per respectum ad filium; & Præceptor nihil aliud est, qvàm persona habens discipulum.*

IV. Relata sunt simul naturâ & tempore: *Qvia se mutuò ponunt. Sic posito marito, ponitur uxor: posito emptore, ponitur venditor.*

V. Relata inter se convertuntur. *Scilicet* perfecta. *Sic Pater est filii Pater: & contrà, filius est patris filius.*

VI. Relata sunt æqvè nota: *Item*, Relata se mutuò definiunt: Relatum cognoscitur per Correlatum: *Item*, Unum relatum qvi perfectè novit, novit & reliqvum. *Sic qvi scit, qvid sit emptor, facilè scit, qvid sit venditor. Sic Præceptor est, qvi habet discipulum: & è converso: discipulus est, qvi habet Præceptorem.*

Caput V.

De Secundariis Accidentibus.

1.

Secundaria Entis genera.

Quæ hactenus fuêre accidentia, dicuntur primaria, *restat, ut ultimo loco præcipiamus de istis* accidentibus, qvæ sunt secundaria: *qvalia sunt* Actio, Passio, Qvando, Ubi, Situs, Habitus.

Actio.

2. Actio est forma fluens ab agente in subjectam materiam, sive in patiens. *V. g. Calefactio, prout est actio ignis, nihil aliud est, qvàm actus qvidam, prout à calefaciente igne provenit, & transit in aqvam, vel aliam materiam, qvæ calesit, & patiendo recipit calefactionem.*

Immanens Actio.

3. Est autem Actio vel Immanens, vel Transiens.

Actio Immanens est, qvæ manet in eodem Subjecto, à qvo erat excitata, adeò, ut causa efficiens & Subjectum actionis immanentis planè sint una eademq; res. *Tales actiones Immanentes sunt intellectio, Volitio, Appetitio, Sensatio, Auditio, Visio. Nam visio, tanqvam actio, fit ab oculo, & etiam recipitur in oculo, ita ut visio maneat in sua causa efficiente, inq; illa terminetur:*

netur: & propterea visio vocatur Actio Immanens.

4. Actio Transiens est, quæ ab agente quasi transit in rem aliam, sive in aliam materiam, in qva effectum producit suum, & vim suam exercet in alio. *V.gr. Calefactio ignis fluit, & transit ab igne in aquam vel aërem, prout producit calorem, vel in aquâ vel in aëre. Sic quando arcularius lignum exasciat, vel sutor corium præparat & dissecat, vel sartor pannum, sunt actiones transeuntes.* *Transiens actio.*

5. *Deinde* Actio est vel Naturalis, vel Intellectualis, vel Voluntaria, vel Artificialis.

6. Actio Naturalis est, quæ fit à principio naturæ, adeoque determinata est ad unum modum agendi. *Ut calefactio Solis; humectatio Lunæ; ascensio ignis; descensio terræ, & consequenter omnis actio rerum inanimatarum est naturalis, quæ ex interno provenit principio: quandequidem determinatè fit, & necessitate naturali, & potentia irrationali.* *Naturalis actio.*

7. Actio Intellectualis est contemplatio intellectus, seu mentis, qui intelligendo affectat notitiam veri in ipsis rebus. *Quales actiones exercent scientiæ, sa-* *Intellectualis actio.*

pientiæ, intelligentiæ, imò omnes habitus mentis. Ut quando Mathematicus contemplatur motum Solis & Lunæ: Vel quando Physicus disquirit de ortu & interitu rerum naturalium; de propagatione animæ; de nutritione corporis viventis: Vel quando Geometra disputat de varietate Figurarum; de Triangulis, Quadrangulis, sunt Actiones Intellectuales.

Voluntaria. 8. Actio Voluntaria est actio specialiter sic dicta, quæ contradistingvitur effectioni: *Ut sunt actiones Morales, Civiles, Domesticæ & Ecclesiasticæ, quæ fiunt ex voluntate & libertate, Ut si quis honestè suo ductu vivit, benè agit & justè.*

Artificialis. 9. Actio Artificialis est effectio, rectâ cum ratione producta: *Ut si Artifex secundum artem producat vel mensam, vel tabulam, vel scamnum, vel vestem, vel picturam, vel aliud artefactum.*

De Passionibus.

Passio. 10. Passio est receptio actionis in patiente; *ut quando aqua calefit, recipit patiendo calefactionem ignis; item si quis vapulat, passio est, quia recipit fustigationem & verbera.*

11. Variat autem Passio ad modum actionis. Itaque alia Naturalis est, alia Vo-

Voluntaria, quod ex ipsis terminis facilè intelligitur.

12. *Porrò*, Passio alia est Corruptiva, alia Perfectiva. *Passio Corruptiva.*

Passio Corruptiva est, per quam patiens corrumpitur: *Ut combustio, & quævis rei destructio, consumtio & absumtio.*

13. Perfectiva Passio est, per quam patiens perficitur: *Ut discere, intelligere, consultare, sentire, videre, disputare.* *Perfectiva.*

14. *Denique*, Passio quædam est Transmutativa, & quædam Intentionalis.

Transmutativa Passio est realis mutatio in patiente: *Ut edolatio ligni, combustio, calefactio aquæ, elixatio cibi.* *Transmutativa.*

15. Intentionalis Passio dicitur, per quam nulla realis fit mutatio, sed tantùm actionis determinatio, proindeque δόξης passio dicitur. *Sic color, sive res colorata, quando videtur, quodammodo pati dicitur, quia visus eam excipit & determinat.* *Intentionalis Passio.*

De Accidente, QUANDO.

16. Vox Quando est adverbium temporale, quo utimur ad interrogandum, quo tempore aliquid fit, vel fiat, vel operetur; inde verò translata est *ad denotandam denominationem*, qua res dicitur *Quando.*

vel

vel hodiè, vel heri, vel alio tempore esse vel fuisse. *Ita Aristot. ait, quando idem est, quod esse in tempore.*

17. Sed & Quando est vox ambigua. Nam 1. sumitur *interrogativè*: Ut si quæritur: *Quando venies? Quando natus est Christus? 2. Indefinitè*, ut quando venit plenitudo temporis, misit Deus filium in carne: *quæ acceptiones non sunt hujus loci. Igitur* 3. vox Quando accipitur *nominaliter* pro modo durationis & temporis, quo aliquid dicitur esse, vel fuisse, vel futurum esse: Et sic sumitur pro ratione durationis, & pro certa circumstantia temporis.

Solet autem ita definiri:

18. Quando est id, quod ex adjacentia temporis relinquitur. Vulgò ita *declaratur:*

Quando est accidens, quod notat finitam durationem. *Item:*

Quando quid. Quando seu Aliquando est declaratio temporis, quatenus aliquid in eo fuisse, esse vel fore dicitur. *Hic ergò spectanda & attendenda est* duratio rei, quæ est extensio seu mora existentiæ, *ut definit Pererius lib. 12. Phys. cap. 5.*

19. *Primò quidem facilè intelligitur, quod*

to-

τὸ Quando *importet aliquam durationem*, hoc est, permanentiam rei inesse, seu moram & tractum existentiæ, ita, ut res denominetur aliquandiu vel fuisse, vel quod jam sit, & adhuc duret, vel quod in futuro sit. *V. g. Quæritur de Studioso, quando sit disputaturus. Resp. futurâ septimanâ, vel crastino die: Ubi illa denominatio ex tempore futuro desumpta facit aliquod* quando, *& per durationem finitam determinat actionem futuram Studiosi.*

Deinde verò hoc loco notetur, quod τὸ *QUANDO* importet durationem finitam, ut excludatur *ÆTERNITAS*, quæ est duratio infinita carens omni termino. *Æternum* enim dicitur, quod nec initium habet, nec finem. Græcis dicitur ἀΐδιον & αἰώνιον, quasi ἀεὶ ὤν.

De Duratione.

20. Triplex est Duratio, Æternitas, Æviternitas sive Ævum, & Tempus. *Æternitas.*

Æternitas est duratio interminabilis & indivisibilis. Hæc autem non restringitur ad hoc Entis genus, quod appellitatur Quando, *sed sola* duratio finita constituit prædicamentum Quando: *adeò ut omne* τὸ *Quando sit vel in Ævo, vel in tempore esse.*

Ævum

Ævum.

Ævum est duratio inita, quæ habet initium, sed fine caret. *Sic* in ævo *sunt Angeli & Spiritus omnes: Angeli aliquando sunt creati, sed ita continuò durant ab illo initio creationis, ut nunquam ad finem existentiæ pervenire debeant, adeoq; perpetuò durabunt.*

Tempus est duratio finita, quæ & initium habet & finem. In tempore *dicuntur esse corpora, quorum duratio & initium habet & finem. Aliquando enim cœperunt, & iterum aliquando desinent per corruptionem sui: Ut homo & nascitur & moritur, adeoq; ejus duratio & tractus vitæ incipit, & iterum desinit; quæ duratio vocatur Tempus.*

Quando non est ipsum tempus.

21. Nota verò, quòd propriè τὸ *Quando* non sit ipsum tempus, sed denominatio facta ex tempore, vel juxta tempus. Prout enim aliquid aliter atque aliter denominatur ex alio, atq; alio tempore, temporisq; differentia, in tantum denominatur ex Quando. *Sic à sæculo, vel nuper, vel heri factum si dicatur aliquid, erit descriptio ex adjacentia temporis præteriti. Huc ergò pertinent illa vocabula,* pridiè, olim, cras, hesternus, antelucanus, meridianus, &c.

22. Cæterùm τὸ *Quando* ob varietatem

tem temporis dividitur in Præsens, Præteritum & Futurum.

Præsens Quando est ordo durationis ad tempus præsens, *ut si dicatur: Hoc jam, nunc fit, hoc seculo, hoc die, hâc horâ.*

Quando Præteritum est ordo durationis ad tempus præteritum; *Ut fuit præterito anno, seculo.*

Quando futurum est ordo durationis ad tempus futurum; *Ut fore, vel futurum esse, anno sequente, vel cras.*

De Accidente Ubi.

Ubi.

23. Ubi est adverbium Loci, quod significat modum præsentiæ, quo res est alicubi, hîc vel illic. *Vulgò explicatur per finitam rei præsentiam, ita ut τὸ Ubi nihil aliud sit, quàm Accidens notans finitam rei præsentiam.*

Græcis dicitur ἔνδειξις τόπου, ut quando aliquid dicitur esse domi, foras, in foro, &c. *Aliàs Ubi variè sumitur*, vel relativè, *ut Virgil. 1. Æneid. ubi Æacidæ telo jacet Hector*, vel infinitè, *ut, fac sis nunc promissa appareant, sive adeò digna res, ubi tu nervos intendas tuos*: vel postquam, *ut, Hæc ubi dicta dedit*: vel quando, *ut, Ubi satietas cœpit fieri, commuto locum.* Sed hîc notat

notat modum præsentiæ vel ordinem loci, quo aliquid dicitur esse alicubi.

De Ubi Circumscriptivo, Definitivo & Repletivo.

Ubi Circumscriptivum.

24. Ubi est vel Circumscriptivum, vel Definitivum, *quibus additur* 3. Repletivum.

Ubi Circumscriptivum est Accidens, secundùm quod aliquid dicitur esse totum in toto spatio, & pars ejus in parte spatii. *Sic corpora naturalia, in statu naturali posita, circumscriptivè sunt in aliquo Ubi, ut arbores, homines, bestiæ, &c.*

Definitivum.

25. Ubi Definitivum est Accidens, secundùm quod aliquid est totum in toto spatio, & totum in qualibet parte spatii. *Sic Angeli & Spiritus omnes sunt in Ubi definitivo, ita ut definitè terminetur præsentia Angeli ad Hic, ut sit ibi, vel alibi, interim sic adest, ut totus Angelus sit in toto spatio, & quævis ejus pars sit in toto spatio. Non enim per extensionem partium occupat certum spatium, sed per simplicem præsentiam.*

26. Repletivum Ubi est, quo Deus dicitur ubique esse, ita ut omnia repleat. *Jerem. 23, v. 24.*

Sed

Sed uti tempus distingvebatur à Qvando, sic etiam locus ab Ubi, si propriè & accuratè loqvi velimus. Huc pertinent, qvæ ex adjacentia præsentiæ denominantur, ut dicantur esse in loco, & esse in certâ præsentia constitutâ. *Ubi non est locus, sed esse in loco.*

Definitur ita:

27. Ubi est ordo rei ad locum, vel ad certam præsentiam. *V.g. qvando dicitur, Angelum alicubi esse, ibi fit determinatio Angeli ex ordine, qvem habet ad locum, vel ex determinata præsentia. Certum ergò est, qvod ipse locus non constituat genus Ubi, sed esse in loco, nempe esse sursum, vel deorsum, esse in templo, foro, in muséo.* *Ubi qvid.*

De Ubi Naturali & Fortuito.

28. Est Ubi vel Naturale, vel Fortuitum.

Ubi Naturale est ordo ad naturales locorum differentias, *ut suprà, infrà, antè, pòst.*

Ubi Fortuitum est ordo ad accidentales locorum differentias. *Ut esse in Muséo, in Auditorio. Fortuita dicuntur Ubi, qvia sunt arbitraria, & dependent à voluntate ambigua.*

29. Cæterùm notabile est, qvod aliqvid

alicubi esse dicatur vel Enter, vel Præsenter, vel Potenter: *Unde Versiculus:*

Enter, præsenter, Deus hîc & ubiqve potenter.

Enter alicubi esse dicitur, qvod secundùm suam essentiam realiter & reverà ibi est, ubi esse dicitur. *Sic qvi mecum est in Musèo meo, Enter mihi adest. Sic Christus in S. Cœnâ Enter præsens est.*

30. Præsenter alicubi esse dicitur, qvando aliqvid in conspectu adest, licèt secundùm essentiam suam absit. *Sic Sol, qvando ortus est, nobis præsens esse dicitur.*

Potenter alicubi esse dicitur, qvod secundùm virtutem & efficaciam operandi adest. *Sic Sol secundùm virtutem est in intimis terræ visceribus, ibiq; operatur.* Sic Principes sunt in suis territoriis passim.

De Situ.

Situs. 31. Situs est ordo positus partium corporis ad locum. *Arist. lib. 5. Metaph. c. 19.*

Situs est ordo habentis partes secundùm locum, *hoc est*, dispositio partium in loco, secundùm qvam aliqvid sedere, stare vel jacere dicitur. *Prout enim partes corporis certo respectu disponuntur, situari dicuntur; Ut in sessione hominis est certa dispo-*

dispositio partium humani corporis, brachiorum, ventris. Et illa dispositio partium in corpore vocatur Situs.

32. Est autem vel Naturalis, vel Voluntarius.

Ille à natura est, & ex positione partium naturalium: *ut in homine caput sursum, venter in medio, pedes deorsum.*

Voluntarius oritur à libera voluntate & fortuitâ positione: *Ut in sessione hominis, statione, cubatione.*

De Accidente τῷ Habere.

33. Habere est ordo corporis, ex adjacentiâ eorum, qvæ circa corpus sunt: *Ut vestitum esse, palliatum, annulatum.* *Habitus.*

Est autem τὸ Habere vel Naturale, vel Artificiale.

Illud est, qvod à naturâ est. *Sic naturæ omnibus animalibus (excepto homine) qvantum ad vestes & arma pertinet, providit. Sic lepus à natura qvasi habet tecta arma, qvibus se defendit, utpote colorem, qvi terræ similis, & in suo loco lapidi, adeoq. non facilè animadvertitur: item habet velocitatem pedum.*

Hoc si dicitur, qvod ab arte factum est, ut hominis ornamentum, vel tegumen-

mentum vel indumentum, qvo induitur: *Licèt per Accidens bruta interdum ejusmodi indumentis vel armentur, vel ornentur, qvalia indumenta sunt varia.* Ut catenatum esse, loricatum esse, coronatum esse. *Plura videantur in Theoria Transcend. vel in Institutionibus Logicis.*

AXIOMATA.

I. Actio est prior passione, tùm naturâ, tùm dignitate. *Oritur enim ex principio agente, & fluit in patiens, adeoq; infert passionem.*

II. Actio suscipitur propter finem, *qvia nullum agens frustrà agit.*

III. Modus agendi seqvitur modum essendi. *Ut enim res est in esse, ita etiam in operari.*

IV. Ubi eædem sunt operationes, ibi eadem est essentia. *Intellige operationes specificas & proprias, qvæ per se ex essentiâ & naturâ rei proveniunt. Sic ubicunqve datur nutritio eadem, ibi & eadem datur anima.*

V. Actiones determinantur per objecta: *Ut induratio in luto determinatè fit: similiter liqvefactio in cerâ, ubi calefactio Solis determinatur per lutum & ceram.*

VI. Actiones sunt suppositorum: *Item,* Actio-

Actiones sunt Singularium. *Id enim, qvod agit, semper est aliqvid totum, & per se subsistens, licèt sæpè agat mediantibus partibus suis* & accidentibus. *Qvod tamen non ita intelligendum, ac si* partes & accidentia *verè non agant. Hoc enim manifestò falsum.* Nam & anima sapit, intelligit, calor calefacit, oculus videt, &c. sed qvòd in toto agant partes, ut & accidentia in suo subjecto.

VII. Omnis actio fit per contactum, vel per virtualem, *ubi virtualiter agens tangit patiens:* vel per corporalem, *& propriè dictum.*

VIII. Omnis passio præsupponit actionem. *Qvia infertur ab actione, & nihil aliud est, qvàm receptio actionis.*

IX. Non qvidvis qvodvis patitur. *Debet enim dispositio qvædam esse in patiente ad recipiendam certam actionem. Sic impressionem variarum figurarum non recipit aër, nec ferrum, ut cera, qvæ facilè fingi & refingi potest ad impressionem artificis.*

FINIS
&
CONCLUSIO,

HÆc summa est totius Primæ Philosophiæ, seu Metaphysicæ, quam ita olim instinctu, svasu & hortatu aliorum, vulgaribus exemplis, perspicuâ facilig; brevitate repræsentare ac declarare volui, eum potissimùm in finem; ut ne difficultas & obscuritas rerum sive terminorum, & principiorum Metaphysicorum, ab hoc augustissimo studio, maximèq; necessariò, quempiam facilè arcere possit. Non falsus est animus, nec voto caruit suo, sed en ecce opus vix cæptum actutum tàm auspicatò succedit, nec non postmodùm tàm feliciter processit, *ut Exemplaris illa,* quam sic nuncupàram, *Metaphysica, undiquaque increbuerit, etiam in remotissimis oris, indeq; passim etiamnum omnium ferè manibus teratur: Quin immò non privatim duntaxat subinde legatur, juventutiq; studiosæ commendetur, sed & publicè in Scholis, Gymnasiis, & Academiis prælegatur.* Factum inde est, ut nunc septimâ vice nova editio paranda mihi, ac publico

usui

usui exponenda fuerit. *Jehovæ Deo, fonti & fundo omnis sapientiæ, sit laus, honor & gratiarum actio, pro tantis charismatibus in nostro hoc studio abundè & clementer concessis. Eundem Clementiss. DEUM supplices veneramur, ut porrò studiis discentium ex alto largiter benedicere pergat, quò vergant in finem optatum atque salutarem.* Dab. Anno Christi Salvatoris 1659. d. 2. Septemb.

Anno { officii publici 32. ætatis 65. current.

SOLI DEO ET CHRISTO
GLORIA,

Laus, Honor & Gratiarum actio,
in secula seculorum,
Amen.

ADMONITIO AD STUDIOSOS De Vitandis vanis Neotericorum Metaphysicorum Novitatibus, argutiisq; insulsis.

AFrica semper aliqvid novi apportat. Scilicet novitatis avida est natura, tantoqve semper flagrat novorum ardore, ut præsentibus, optimis etiam, & pretiosissimis deliciis contenta non sit. Qvod ipsum uti qvidē simpliciter non culpaverim, nec in se vitiosum omninò est, contingit tn. non rarò, ut pruritus iste vitia contrahat non pauca, nec exigua, præsertim in artib9 & scientiis tradendis: In qvibus certè non parùm delinqvunt, nec non enormiter errant, qvi antiqvos terminos transferunt, ut cum Salomone loqvar *Prov. XXII. v.* 28. qvos fecére Patres nostri, qviqve innovare

vare omnia, & vetera deturbare non dubitant. De aliis alii judicent. Metaphysicos modernos paulisper lustrato, & novationes observabis perversissimas, spinosas, vanasq; subtilitates, nec nō argutias inanes. Quæ quàm studiosissimè vitentur, velim. Unum vel alterum saltem in scenam producámus spectaculū. Nimirùm, ut ab ovo, quod ajunt, causam auspicemur, in janua protinus circa objectum Metaphysices, ejusque synonyma, & cognata, non pauca Nova se produnt. Scilicet ipsum Ens insolenti pingunt colore, idque ex *Mendoza argutiarum artifice*, *disp. Metaphys. 2. Sect. 1.* *Sic definiunt*: *Ens est, quod non repugnat existere.* *Quæ verba*, inquiunt, *idem significant, quod vulgò dicitur*: Ens reale esse id, quod potest esse in rerum natura citra mentis operationem. *Nam ea, quæ concipimus, sunt in duplici differentia: Quædam non possunt revera & citra mentis operationem existere, ut homo irrationalis, & hæc non sunt Entia realia, sed rationis. Quædam autem possunt existere, ut homo rationalis, & hæc dicuntur Entia realia.* *Quòd si causam hujus diversitatis quæres*, nulla alia est, quàm quod quædam includunt

prædicata, quæ sibi invicem repugnant, sive quorum unum destruit alterum, & quia talia prædicata non possunt in eodem existere, ideò & illa ipsa, quorum prædicata sunt, non possunt existere. *Quemadmodum non potest dari* homo irrationalis, *quia hominis essentia est, & constituitur per rationale, quod destruitur per irrationale. Quædam verò non includunt prædicata se invicem destruentia, & quia prædicata hujusmodi possunt coëxistere, ideò & ea ipsa, quorum sunt prædicata, existere possunt. Sic prædicata hominis essentiam constituentia sunt animal & rationale, quæ, quia sibi invicem non repugnant, sed in eadem re existere possunt, propterea & homo in rerum natura existere potest.*

Causa ergò propter quam aliquid existere potest, est, quia caret prædicatis contradictionem involventibus. *Unde magis à priori Ens sic describi potest:* Ens est, quod non habet prædicata se invicem destruentia, *sive contradictionem implicantia.* Hæc illi.

Verum enim verò vanissima commenta sunt, & perversissimæ innovationes:

Sunt spinæ, tricæq; & si quid vilius illis.

Præ-

Præterquã enim, quod ſpuriæ iſtæ definitiones non niſi impoſſibilitatis negationem, quæ per non repugnantiam & carentiam prædicatorum ſe mutuò deſtruentium notatur, formaliter exprimunt, & conſequenter poſſibilitatem eſſendi important, vitioſiſſimæ ſunt. Quia 1. Confundunt *Ens cum eo, quod poteſt eſſe*: Non enim dicunt, quid Ens ſit, ſeu quodnam Ens ſit, ſed quid poſſit eſſe Ens, ſeu quod non impoſſibile ſit, cum non implicet contradictionem: Nam illa *non repugnantia* nihil aliud eſt, quàm negatio impoſſibilitatis. Id enim dicitur non repugnare, quod non eſt impoſſibile, & ſic per conſequens poteſt eſſe. Similiter *carentia ſeu non habitio prædicatorum ſe mutuò deſtruentium*, quid aliud eſt, quàm negatio impoſſibilitatis, ſeu remotio prædicatorum incompoſſibilium? Ea ſcilicet prædicata dicuntur ſe mutuò deſtruere, quæ non poſſunt ſimul eſſe, ſeu coëxiſtere in eodem, ſicque involvunt contradictionem, adeoque dicunt eſſe & non eſſe. Hoc vid. fundamentum contradictionis eſt, uti abundè conſtat ex Logicis. Quæro ergò, *cur prædicata ſe mutuò deſtruant*, & quænam

nam talia sint? Resp. Quia contradictoria sunt, quæ non possunt simul esse vera. At cur hæc non possunt simul esse? Tandem dicendum erit, quia dicunt *esse & non esse simul*, quod manifestè impossibile est. Sensus ergo est, *Ens est, quod non habet prædicata contradictoria*, hoc est, talia, quæ dicunt esse & non esse. Unde talis ex mente illorum Novatorum simplicissima, si fieri debet, emerget definitio: *Ens est, quod non habet esse & non esse*, hoc est, quod non habet prædicata opposita, quæ idem affirmant & negant. Lepida sanè definitio Entis. Falsissimum insuper est, *illud esse Ens, cujus prædicata non sunt contradictoria*. Etiam non Entia, Entia rationis, notiones secundæ & Logicæ habent ejusmodi prædicata, quæ se mutuò non destruunt. v. g. *Prædicatum categoricum, simplex, subjectum Logicum, incomplexum, vel complexum, extremum majus syllogisticum, Terminus medius, sive argumentum tertium, Figura prima*, &c. Ergonè hæc sunt Entia? Quin porrò dico, ipsum *non Ens* non habet prædicata se mutuò destruentia, in quantum tale est: aliàs non esset non Ens. v. g. *Nihil negativum, Chimæra triceps monstrosa,*

stroſa, *purgatorium Pontificium.* Ergone hæc ſunt Entia? Abſurda & inſulſa omnia.

Dehinc ſpuriæ iſtæ deſcriptiones recedunt nimis *ab uſitato loquendi modo*, & communi vocabuli Entis ſignificatione. Non enim id appellatur Ens, *quod poteſt eſſe*, aut quod non impoſſibile eſt, aut quod non habet prædicata contradictionem involventia, quippe hoc ipſum etiam iis competit, quæ vera Entia non ſunt. Multa ſanè poſſunt eſſe, quæ non ſunt, adeoque nec Entia ſunt, utut poſſint eſſe. v. g. futura contingentia, falſa poſſibilia, Entia in potentia. Unde vulgaris eſt regula: *A poſſe ad eſſe non valet conſequentia.* Fallit ergo & fallitur Jeſuita Hurtadus, quando in diſputatione 2. Metaphyſicæ Sect. 1. decernit. *Ens ſumi pro re includente prædicata, quæ non repugnant, ſed potius poſſint eſſe, ſeu habere eſſe.* Fictitium hoc eſt, atque frivolum. Et licet diſtingvant inter poſſe eſſe, & in potentia eſſe, tamen negari nequit, *Ens in potentiâ poſſe eſſe*, ſicut conceptis verbis ait Mendoza Paragraph. 2. ibidem; *Ens in potentiâ poteſt etiam exiſtere, ſiquidem eſt in aliqua potentia.* At dico ego,

ego, Ens in potentia non esse Ens, ut paulò post demonstrabitur. Capesis exemplum, quo & ipsimet Novatores utuntur. *Paries albus potest esse niger.* Ergone est niger? quando potest esse talis, & nondum est niger. *Homo sobrius potest esse* (in sensu diviso) *vel fieri ebrius.* Ergonè est ebrius, quando potest talis esse?

Tertiò confundunt Ens ipsum *cum certo essendi statu, modo & affectione ejus*, quâ denominatur posse esse, sicque confundunt Ens, ut Ens est, *& ut possibile est.* Descriptiones illæ *statum modumq; Entis aliquem* exprimunt, non declarant ipsum Ens, ut Ens est, non quid sit, sed quale sit, non naturam, sed passionem ejus denotant. In confesso est, quod Ens distingvatur *in actuale & potentiale*, tanquam in diversos status, *ut loquitur Mendoza dicto loco*, sive tanquam per affectiones & conditiones, cum potentionalitas & potentia (ad quam pertinet non repugnantia) & actualitas, seu actus sint affectiones Entis, quibus id denominatur aliter atque aliter. At verò Ens Metaphysicum *secundùm se, prout est objectum Metaphys.* de quo in præsenti agitur, sive Ens, ut sic præscindit ab esse actuali & po-

potentionali, ita ut præcisè non consistat in eo, quod actu est, nec in eo, quod potest esse. *Illud* Ens actuale dicitur, & existere, *hoc* possibile, potentionale, & esse in potentia. Ut verò actus suo modo differt ab essentia, quæ actu est, ita nec potentia, seu potentionalitas confundi debet cũ esse essentiæ. Verum quidem est, & rectè dicitur, *id quod est, etiam posse esse*, ut quando mundus est, & jã potest esse, non secus ac rectè dico, *homo vivit. Ergò potest vivere.* Bibit: ergò potest bibere. Sol movetur, lucet, ergò moveri & lucere potest. Deus agit. E. agere potest. Sed tamen nequaquam inde sequitur, naturam Entis in eo consistere, quod possit esse. Denominatio Entis est, quando dicitur, *Ens potest esse, seu non repugnat existere*, non definitio ejus. Quod dico planum est in particularibus exemplis. *Homo potest esse, seu non repugnat esse, vivere, loqui.* Quæ sanè potentia essendi, vivendi, &c. non exprimit essentiam hominis, vel vitæ, vel bibitionis, sed statum quendam notat & affectionem. Profectò ineptissimus omnium esset, qui definitivè diceret: *Homo est id, quod potest esse homo*: vivit, quod potest vivere, Bibere, est posse bibere. *Potens videre*

non

non dicit visionem, aut esse aut non esse, sed posse esse, inqvit Mendoza *dicto loco* §. 1. Eadem vis sermonis est, quando dicitur: *Ens est, quod potest esse, seu non repugnat existere.*

Porrò & Ens actu esse potest. Ergonè & jam istud sic describi debet, quod non repugnat existere? Mendoza quidem scribit §. 1. *posse esse, convenire cuivis rei, ut existenti*, sed hoc adæquatè aut formaliter & definitivè verum non est. Quod enim competit Enti, ut existenti, id competit Enti, ut actu est. Quomodo igitur distingvet Ens actu existens ab Ente, prout præscindit ab actuali esse, quod in vi nominis non significat existere. Non constare sibi satis videtur Jesuita. Audiamus ejus verba: *Adverte*, inquit, *non esse idem*, Ens posse existere, & esse in potentia. *Primò enim tantùm significat potentiam Logicam, seu non repugnantiam existendi, qualis convenit Deo, & cuivis rei, ut existenti, nam quod existit, non repugnat, sed potest existere. Unde ab actu ad potentiam affirmativè valet consequentia. At esse in potentia significat rem esse possibilem, sed non actu existentem. Nam vox* in potentia *opponitur voci* in actu. *Illa significat rem esse*

in

in solis suis principiis, hæc *in seipsa. Est itaqve Ens in actu; Ens in potentia, & Ens ut sic Abstractum ab Ente in actu & potentia.* Hæc ille §. 2. Sed contrà in §. 1. præcedente docet, *posse esse*, non dicere Ens esse, *ut potens videre non dicit visionem esse.* Sic loqvitur, *posse esse non dicit Ens esse vel non esse, non curat, non attendit illa dictio, num res significanda Ens sit existens vel non sit existens. Et hoc qvidem sensu Ens nominaliter sumptum distingvitur ab eo, prout in vi participii sumitur, & significat rem actu existentem. Sic esse absolutè sumptum est idem, ac existere, sive consistere, ut patet ex Tullio, usuq; communi.* Qvod ut verissimum est, ita nos exinde concludimus, *non statim illud Ens esse, qvod potest esse, seu non repugnare*, adeoq; non rectè sic definiri. Sanè ut in conceptu Entis juxta Adversarios non attenditur, *an actu existat*, ita nec Ens primò aut præcisè concipitur, *an possit esse*; sed aliqvid abstractum est ab utroqve.

Huc faciunt, qvæ de Ente in potentia disputantur. Nos statuimus, *Ens in potentia* qvatenus tale, seu ad hoc, ut sit, *esse non Ens.* Id nimirum, qvod est Ens in purâ potentiâ *objectivâ*, qvodq; simpli-

citer est in potentia, ac prorsus nondum est. Qvale v.g. ab æterno fuit, & ante creationem, *res creabilis*, (utpote Angelus, mundus, cœlum, homo, terra, anteqvam crearetur) hoc certè qvicqvid fuit, ante omnem creationem, in se nihil fuit, purum & non Ens, qvippe qvod nullam in se realem essentiam habere potuerit, ejusqve potentia, qvâ intrinsecè dicitur posſibilis, *non sit realis*, sed nuda non-repugnantia. Crassus error illorum est, qvi dicunt: *Omnis creatura ante sui creationem est Ens in vi nominis.* Itanè res omnes ab æterno fuerunt, anteqvam crearentur? Impium hoc est, & contra fidem; Profectò nihil fuit ante creationem præter Deum Creatorem, qvi ex nihilo postmodum omnia fecit, non ex aliqva præcedente essentia. Si namq; vera aliqva & realis essentia poneretur *in re creabili*, tunc utiqve seqveretur, qvôd Deus non creârit ex nihilo, ut rectè disserit *Svaretz n.4. p.149. nec produxerit omnia Entia, seu omne id, qvod verè est aliqvid reale, & conseqventer nullum Ens propriè creavit. Sed unum ex alio produxit, tanqvam ex potentia reali receptiva & improducta.* Scilicet existentiam, seu

seu rem existentem ex essentia reali, *quæ dicitur esse potentia receptiva ipsius esse & improducta. Unde ulterius fit, creaturam posse quasi gloriari, quod ex se habeat aliquid, quod non accipiat à Deo, nec participatum ab alio.* Hæc autem omnia & similia sunt contra fidem & naturalem rationem. *Relinquitur ergò, quòd ante creationem præter Deum nihil omninò fuerit, nullumq; esse æternum aliud detur. Aliàs & hoc oriretur absurdum, quòd Deus non posset rem aliquam in nihilum redigere, sicq; semper maneret aliquid rei, scilicet essentia realis possibilis.* Hæc illi. Hinc porrò colligunt, vix modum qvendam aut aliqvid rationis superesse, qvod creationi vendicare qveant, sicuti eam in rem Scaliger, *Exercitat. 6. sect. 13. pag. 35.* sic disserit: *Si creationem præcesserit realis essentia, Deus nihil creavit, sed tantùm addidit existentiam; qvæ si accidens est, Deus creavit solum accidens, si eadem est cum essentia, qvæ fuit ante creationem, nihil omninò creatum fuit.* Videant ergò Novatores, qvâ ratione statuant, *omnem creaturam ante sui creationem esse Ens, hominem ab æterno fuisse ratione essentiæ.* Edisserant velim, num *res creabilis*, qvæ est in pura potentia objectiva,

ctiva, sit *universale* Ens, vel singulare. Non *hoc*, qvippe qvod actu existit, nec *illud*, eò qvòd sine singulari suo esse neqveat, nec universalia dentur extra singularia, ut rectè docet Aristoteles in Categoriis: *Substantiæ secundæ non sunt, nisi in primis*, seu singularibus. Tale igitur Ens potentia verum Ens non est, sed æqvivocè sic dicitur. Communiter & hoc argumentum urgeri solet: *Si Ens in potentia, sive res creabilis*, verb. gr. mundus ante sui productionem, in se haberet aliqvam Entitatem, præcisâ existentiâ, *tum illa Entitas esset vel creata vel increata. At neutrum dici potest. Ergò nec simpliciter est Entitas.* Assumptio patet. Nam 1. non est illa Entitas increata. *Hæc enim solùm competit Deo, de qvo repugnantia est dicere, in eo Entitatem increatam, & tamen possibilem:* Qvia dum vocatur entitas increata, dicitur eminentissimæ perfectionis Entitas. *Dum autem vocatur Entitas possibilis, insinuatur in eo perfectio, in alio autem major perfectio, in cujus scilicet virtute latet id, qvod possibile vocatur.* Nec 2. potest dici, qvòd illa Entitas sit creata. *Repugnat enim aliqvid esse creatum, & tamen non existere, sed demum esse possibile.*

Crea-

Creatio enim & in genere omnis Substantialis mutatio terminatur ad rem ut existat, facitq́, adeò existere, qvod ante non existebat.

Similiter de potentia *Rei Creabilis* disputatur ex Svaretzio, si realis & positiva est potentia, qva res creabilis, ante sui productionem dicitur esse in potentiâ seu posſibilis, tum illa erit vel *producta vel improducta*; Si est improducta: *Nihil est distinctum à Creatore*, si producta, *vel ab æterno ex necessitate, & hoc poni non potest sine errore: Vel liberè & in tempore, & sic anteqvam produceretur*, ipsa erat in potentia Objectiva, & conseqventer *res tota sine tali potentia* in re producta erat *in potẽtia objectiva. Qvod ab omni ratione alienum & absonum prorsus est. Hoc igitur esse in potentia objectiva, nullam dicit potentiam realem, & positivam, qvæ actu sit.* Certè in essentia posſibili, priusqvam fiat, nihil est rei propriè loqvendo de re positiva & actuali. *E. non potest in ea esse potentia realis positiva. Omnis enim potentia realis positiva est res aliqva vera, seu in aliqva fundata realitate.*

Rectissimè Thomas 1. part. 2. qvæst. 9. art. 2. *Creaturæ*, inqvit, *anteqvam essent, non erant posſibiles per aliqvam potentiam creatam, cùm nullum creatum sit æternum,*

sed per solam potentiam divinam, *in quantum Deus poterat in esse producere*. Hinc porrò disputant, res appellari possibiles per denominationem ab aliqva potentiâ activâ vel passivâ, qvæ sunt in agente, vel in subjecto, sive materiâ, ex qva aliqvid producitur. Sed in causis secundis ea potentia semper est creata & producta. Non enim potest causa secunda, aut aliqva potentia passiva realis esse improducta. Cæterùm ex parte creaturarum, in creabili, solùm supponitur non-repugnantia ad hoc, ut fiat vel à causa prima produci possit, cùm nihil rei in illis præreqviri aut supponi qveat. Qvæ cùm ita sint, haut obscurè patet, *nullam creaturam ante sui creationem* (utpote cœlum, astra, mare, animalia, &c.) *esse verum Ens*, utut non repugnet esse. Homo certè primo, secundo, tertio, &c. die creationis non fuit Ens verum, licèt potuerit esse ac fieri.

Porrò nova lis intenditur vetustioribus Philosophis de *æqvipollentibus Entis*. Vetus doctrina est, *Ens & Aliqvid* in theoria objecti Metaphysici esse Synonyma, ita qvidem, ut ibi τὸ *Aliqvid* æqvipolleat Enti, non secus ac essentia, natu-

natura, res, definitio seu qvidditas & forma dicuntur Synonyma Entis. Similiter æqvipollenter hoc loco sumuntur oppositа Entis. *Non-Ens & nihil*, prout nempe ambo directè opponuntur Enti, objecto Metaphysices. *Communissima hæc est veterum Metaphysicorum sententia. Qvam cur etiam magni nominis Viri novis argutiis incessere ac sugillare non dubitaverint, eqvidem miror.* De novellis Magistris mirum non est, si malè informati præcipitent judicia, sed Seniores & Ductores populi rectiùs hoc loco sapere debuissent. Qvæ enim contrà differunt, perversissima & ineptissima omnia sunt. Nemo negat, nec ignorare facilè qvispiam potest, illos terminos (*Aliqvid, οὐσία, natura, qvidditas, res &c.*) alibi, etiam in Metaphysicis, aliter accipi, & usurpari. Id qvod tamen magno conatu inducere ac probare satagunt Neoterici Metaphysici. Scil. in janua oberrant, & more Andabatarum disputant. Insanire malunt homines vel cavillari, qvàm antiqva discere rectiùs atqve docere. Speculantur *hominem irrationalem*, & sibi *aliqvid* concepisse videntur, qvod non est Ens. Immane qvantum illud mon-

strum est. Totum fictitium & imaginarium est. Sed ingerunt illi, *qvi sic cogitat, de aliqvo cogitat*; Respondeo 1. Fictitium aliqvod cogitat (modò possit tale monstrum, qvod est *homo irrationalis*, concipi) qvod in se nihil est prorsus: & qvidem 2. sub ratione Entis sic cogitat de eo, qvod ut imaginarium Ens est, & monstrosum satis, ita etiam aliqvid imaginarium. Illud ergò si aliqvid est, etiam sub illa ipsa ratione Ens est. Hactenus ergò Ens & aliqvid æqvipollent, non discrepant. Sed opponunt argumentum tale:

Qvæ sunt simpliciter idem, eorum opposita sunt simpliciter idem, sicut qvia ensis & gladius synonyma, & simpliciter idem sunt, & non ensis & non gladius idem simpliciter significant.

Atqvi opposita Entis & Alicujus non sunt simpliciter idem.

Ergò neq; Ens nec Aliqvid sunt simpliciter idem.

Respondeo. Topicum hoc est, qvod tantum abest, ut usui sermonis receptissimo præjudicare possit, ut potiùs ab eo informandum & corrigendum sit. Fieri enim potest, ut in genere dicendi, seu more

more loquendi unum oppositorum altero latius sit, & plures præ alio sortiatur significationes, v. gr. In sermone communi opponuntur, *bonum & malum*, *Virtus & Vitium*, *Verum & Falsum*, *Veritas & mendacium*, *Unum & Multum &c.*

At latiùs est bonum malo, virtus vitio, verum falso, unum multo, ut notissimum est. Hinc usu venit, ut vocabula quædam in certo sensu eadem sint, seu æquipollentia, quoad unam determinatam significationem, quorum opposita tamen non sunt simpliciter idem. Sic in Physicis communiter, ut Synonyma, proponuntur *Corpus & Substantia materialis*, non ita tamen æquè latè patent eorum opposita. Unde ventus dicitur quidem Spiritus, sed non *immaterialis substantia*. Idem patet *in Spiritibus Chymicis*, item in naturalibus, vitalibus & animalibus. Similia exempla passim occurrunt. Quapropter prima propositio argumenti oppositi simpliciter vera non est, sed restringenda ad sensum accommodum.

Omne Topicum simpliciter intellectum falsum est, & secundùm quid est

verum. Idem judica de præsenti. Secundò observes simpliciter idem intelligi vel *in tota latitudine vocis per omnes significationes*, ut importet adæquatam identitatem, vel in determinatâ & certâ acceptione, secundum quam attendatur simplex identitas termini. *Si priori modo* intelligatur argumentum, non morosè contra disputabo, nec litem illam meam facio, num Ens & Aliquid adæquatè idem sint, ita ut omne *aliquid* sit Ens, & contra. Quod quidem contra Timplerum, aliosq; ab aliis disputatum est hactenus. Sufficit nobis, *usum Metaphysicum*, quem in præsenti loco habent Ens & aliquid, vindicasse. Tertiò de minore Propositione, an opposita Entis, Non Ens & nihil, æquipolleant, paulò post dicetur: id enim contra tot Autores simpliciter negare non ausimus.

Cæterùm *Nihil* multipliciter sumi notius est, quàm ut hîc exponi opus sit. Fallunt autem & falluntur illi, qui exinde concludunt, *Nihil & non Ens*, hoc loco *non dici æquipollenter*: Sicuti disputat Timplerus *lib. 1. Metaphys. cap. 2.* Cujus rationes refutat Jacobus Martini in partitio-

titionibus Metaphysicis *lib. 1. Sect. 1. quæst. 11.* nec non in *Exercitat. Metaph. 1. Theor. 2. pag. 58. & seqq.* Sunt adhuc nonnulli in vicinis Academiis, qui hac de re sic docent: *Nihil idem significare, quod non Ens, vulgatissima est sententia. Sed infinita obstant exempla. Sufficiat unum atq; alteram adduxisse, ex quibus de plurimis aliis potest sumi judicium.* Nihil est ab omni parte beatum, *inquit Poëta, jam si nihil idem est, quod non Ens, sequitur Poëtam hoc voluisse dicere:* Non Ens esse ab omni parte beatum. *Quod sanè absurdissimum est. Similiter ex Philosophia producunt axioma illud vulgare:* Nihil est causa sui ipsius; *Ubi non potest intelligi* non Ens; *sed utrobiq;*, Nihil *idem est, quod nullum Ens, seu nulla res:* Scilicet, Nullum Ens est ab omni parte beatum, & nullũ Ens est causa sui ipsius. *Hæc illi.* Sed ut quidem libenter concedimus, in illis exemplis *Nihil* non posse explicari per *non Ens*, ita tamen nondum videmus, quomodo vulgata sententia Metaphysicorum inde tollatur, ac si *Nihil* in sensu Metaphysicorum, prout est categorema, non idē sit cum *nõ Ente*: Particularia sunt illa exempla, quæ aliud nihil probant, quàm quod aliquo signi-

significatu & sensu non æquipolleant. In prima significatione Nihil æquipollenter dicitur non Enti, licet in reliquis discrepet.

Porrò opponunt illi, interdum quidem pro voce Nihil posse substitui non Ens salvo sensu, sed hoc ajunt, *nunquam fieri potest, quando τὸ nihil est principium enunciationis. Sumamus illud vulgatum*, ex nihilo nihil fit, *incorruptus sensus est.* Si pro nominativo nihil (ubi est principium orationis) ponant *nullum Ens*, pro ablativo nihilo ablativum vocis, *non Ens*; Ut si dicam. Nullum Ens fit ex non Ente. Hæc illi. Nos sicuti hoc ultimum omninò concedimus, cùm nostræ causæ faveat;

Ita insuper addimus, *τὸ nihil* in initio quoque enunciationis sæpè exponi posse per *Non Ens*, ut sic æquipolleant non Enti. Nam quando dicitur, *Nihil opponitur Enti, Nihil est simplex negatio Entis, Nihil & aliquid sunt prima contradictio, & termini contradictorii*; tùm benè substituitur in initio orationis *non Ens*, ut sit sensus, *Non Ens* opponitur Enti, &c. *Non Ens* & Ens sunt prima contradictionis fundamenta. Non urgebo nunc morosè,

rosè, quod in vulgato illo, *ex nihilo nihil fit*, principium orationis sit *ex nihilo*. Idque ponatur pro *non Ente*, & forma orationis talis sit, quod est *nihil*, sive quod est *non Ens*, ex eo fit nihil : seu nullum Ens, ex eo fit, vel non ex eo aliquid. Sed hæc hac vice de objecto Metaphysices, ejusque æquipollentibus terminis & oppositis.

Jam quid dicemus de reliquis? Innumera ferè sunt, quæ castiganda essent. Paucis accipe, ac singula ad Lydium revoca lapidem. Eandem crambem toties coctam repetunt *de Ente reali* & rationis, indeque disputant, *Ens reale* sic dici, & propterea tale esse, *quod non repugnat esse*, id verò Ens rationis dici, quod repugnat esse, ac impossibile sit. Sic enim scribunt illi: pag. 13. *Quicquid potest esse in rerum natura, est Ens reale*, & paulò post: *Nam si esse potest, hoc ipso Ens reale nominaliter voce accepta. Diximus enim Ens reale (nominaliter sumptum) esse id, quod non repugnat esse.*

At verò erroneam esse illam hypothesin, & falsissimam, è dictis constat satis. Ens rationis potest esse, ut concipitur, sicuti fatetur ipse Mendoza. Ergonè illud

lud est Ens reale? *Sententia est*, inquit Mendoza *disp. 19. Metaph. sect. 1. §. 10. ad efformandum Ens rationis non requiri, ut objectum sit impossibile, sed sufficere, si actu non ita sit, sicuti repræsentatur per actum intellectus.* Hæc ille. Quæ ut verissima sunt, ita nos inde concludimus contra Mendozam, & ejus asseclas, *non id protinus esse Ens verum & reale, quod potest esse*, seu quod non repugnat existere. Sic ergò illi propria vineta cædunt, infestisque signis seipsos invicem conficiunt.

Sed audi, quale σοφὸν φάρμακον morbidæ causæ adhibeant, ut & Mendozæ & sibi consulant rectiùs. *Liceat*, inquiunt, *distinctione uti, & assertionem Mendozæ ad bonum sensum trahere. Dicimus ergò, Ens rationis dupliciter sumi posse. Nam cùm Ens rationis opponatur Enti reali; Ens verò reale accipitur duplici ratione, Nominaliter & Participialiter, sequitur etiam, Ens rationis dupliciter esse sumendum, nempè ut opponitur Enti reali accepto nominaliter, & ut opponitur Enti reali sumpto participialiter, vi vulgatæ regulæ, quot modis unum dicitur oppositorum, tot modis etiam dicitur alterum; Ut aliquid dicatur Ens rationis, ut oppo-*

ni-

ponitur Enti reali, accepto in vi nominis, requiritur, ut nec sit, nec esse possit, sicut concipitur. *Nam si esse potest, hoc ipso est Ens reale, nominaliter voce accepta, &c. Et in hac acceptione illa definitio, quâ asseritur, Ens rationis esse illud, quod est tantum objectivè in intellectu, non tantum de actu intelligenda est, sed & de potentia, quod nimirum nec sit, nec esse possit citra hoc, quod est objectivè in intellectu. Ad hoc autem, ut aliquid dicatur Ens rationis, ut opponitur Enti reali (sumpto participaliter) sufficit, si non sit actu ut concipitur, etiamsi esse possit.* Scilicet eâdem semper oberrant chordâ. Quoddam Ens rationis, quod objectivè tantùm est in intellectu, non tamen est Ens rationis. Cur? quia potest esse. At verò omnia falsa, & ficta possibilia, omnia sphalmata fortuita, & errata contingentia, possunt esse, licet non sint, sicut concipiuntur. Ergonè nulla falsa & ficta possibilia, nulla sphalmata fortuita, & errata contingentia, sunt Entia rationis? suntnè illa omnia Entia realia? Insulsa, & absurda omnia. Magi ab ortu venientes, & quærentes Christum natum dicuntur Reges, mireque ac vivis quasi coloribus describuntur in Papatu, nec

nec repugnat fuisse tales. Ergonè sunt Entia realia? Falsa possibilia sunt & figmenta rationis.

Sed porrò disputant, *Ens per accidens & unum per accidens*, non nisi æquivocè sic dici. Sicut & causa per accidens non sit vera causa. *Terminus per accidens sit alienans seu alienatio*, ut loqvuntur. Falsissima hæc est hypothesis. Ens & unum per accidens sic dicuntur πρὸς ἓν καὶ ἀφ' ἑνὸς, non per meram homonymiam. Sicut enim unio & compositio accidentalis est verè realis, sic & per eam verè constituitur Ens unum, unitum & compositum, quod propriè Ens est, utpote *homo peccator, albus, doctus, fidelis, &c.* Revera talis est, non æquivocè, non impropriè. Forma denominans, *peccatum, albedo, doctrina*, fides & similia accidentia, utut per accidens conjungantur in uno, verè denominant suum subjectum, & verum Ens per accidens constituunt. Sic ferrum ignitum propriè sic dicitur. Sic arbor diversarum specierum, quæ nimirum ramos diversarum specierum habet insitos, est verè una, & unum suppositum, licet sit Ens & unum per accidens.

Cæte-

Cæterùm affectiones Entis per se ac intrinsecè conveniunt Enti. Malè igitur definiuntur per conceptus. Accidit, ut concipiantur, & ante omnem considerationem mentis Ens est unum, verum, bonum, &c. Et sic intrinsecè denominatur Ens, non extrinsecè à conceptu, vel intellectu, non à voluntate approbantis, &c. Certè uti Ens in se ac per se, seu per suam naturam internam est unum, sic qvoqve in ac per se est verum & bonum, qvia Ens est, non qvia refertur ad aliam formam externam, unde per extrinsecam denominationem sic dicatur. Qvocirca enormiter errant, qvi *formalem rationem veri & boni*, qvâ πρώτως & formaliter in esse vero & bono constituitur, qværunt in Relationibus ad extra, ad *formam denominantem extrinsecam*: Sicuti perperam disputant nonnulli, *veritatem non esse in ipsis rebus, sed res dici veras per extrinsecam denominationem*, indeqve negant, aliam esse veritatem in essendo, aliam in cognoscendo, & significando. Triplex communiter statuitur veritas, nempe in essendo, & in cognoscendo, & in significando. Qvæ distinctio etiam proponitur & ap-

probatur à Svaretzio *disp. Met. 8. in Proœmio*, qvi *dicit veritatem in significando reperiri in vocibus, & scripturis; Veritatem in cognoscendo & intellectu cognoscente res, sive cognitione & conceptione ipsarum rerum; Veritatem autem in essendo in rebus ipsis, qvâ ab illa denominantur veræ.* Hanc distinctionem Neoterici qvidam Metaphysici rejiciunt, ceu vanam, & minimè admittendam esse censent. *Nam*, inqviunt, *si veritas, à qva res denominantur veræ res, & qvam veritatem in essendo vocant, non est in rebus, sed in intellectu & cognitione intellectus, sequitur, qvòd sit ipsa veritas, qvam in cognoscendo vocant, propterea, qvia scilicet illis veritas in cognoscendo est illa veritas, qvæ in intellectu & cognitione illius est. Sed prius est verum, sicut hactenus fuit demonstratum. Ostendo enim, res esse veras res per denominationem extrinsecam à veritate, qvæ in intellectu, & ejus actu reponitur. Ergò & posterius. Qvod si veritas, qvam in essendo vocant, illa est veritas, qvam in cognoscendo nominant, non est profectò duplex veritas, qvarum una in essendo, altera in cognoscendo.* Itempaulò pòst: *Unica est veritas, à qvâ cognitio intellectus vera dicitur formaliter: Res verò dicun-*

cuntur veræ res, & oratio dicitur oratio vera extrinsecè; illa qvidem, qvia terminant veram cognitionem: Hæc verò, qvia eandem significat. Hæc profectò erronea & falsa omnia sunt. Rectiùs scribit, docetqve S. Augustinus lib. 2. Soliloq. c. 3. *Verum non rectè dici esse id, qvod ita se habet, ut videtur cognitori, qvia secundùm hoc nihil esset verum, si nullus cognosceret.* Item, *Verum esse id, qvod est, non autem id, qvod videtur, aut qvod tale est, qvale videtur, qvia etiam si res non videatur, neq; conformitatem habeat cum aliqva cognitione, nihilominus vera est.* Hæc ita ex Augustino communiter citari, & non immeritò laudari solent, præcipuè à Svaretzio in disp. Metaphys. 8. de veritate, sect. 7. Qvæ utiq; haut obscurè insinuant veritatem rei *non dependere à cognitione, tanqvam à forma extrinseca denominante*, nec res inde denominari veras; ita hoc loco primò omnium diligenter prænotanda sunt. Deinde observentur qvoqve, qvæ Svaretzius d. l. scribit, monetqve, de veritate Transcendentali & essentiali, prout ea est interna affectio Entis. *Hanc*, inqvit §. 34. sect. 7. *veritatem transcendentalem non esse meram denominationem ex-*

trinsecam, qvàmvis includat aliqvo modo, seu connotet conjunctionem alterius rei, unde illa resultat. In hac conclusione differo ab opinione Cajetani, qvàmvis fortasse non tàm sit differentia, qvàm explicatio sententiæ ejus. Probatur ergò ex dictis, qvia veritas rei intrinsecè includit Entitatem ejus, ergò non est mera denominatio extrinseca. Antecedens patet ex definitionibus veritatis, qvas tradunt Augustin. Anselm. & Avicenna, & ex aliis suprà adductis. N. 2. Avicenna ait: Veritas rei est proprietas sui esse, qvod stabilitum est ei: Item, qvia propter hanc causam Entia fictitia non sunt vera Entia, & longè aliter sunt intelligibilia, qvàm vera Entia. Nam hæc ex se nata sunt apprehendi & cognosci, prout sunt: Illa verò minimè; Sed oportet: ut artificio & vi intellectus aliqvâ realitatis specie, seu umbrâ induantur. Item hac ratione, qvo res magis habet de Entitate, magis etiam habet de hac veritate, & qvod perfectius Ens est, illud ex se magis intelligibile dicitur. Unde ulteriùs argumentari possumus: Qvia esse intelligibile non est mera denominatio extrinseca, ergò neqve esse verum objectivè seu realiter. Antecedens patet, tùm ex dictis, qvod intelligibilitas seqvitur Entitatem rei, tùm etiam, qvia

qvia objectum est naturâ prius potentiâ, & ratio illius: ergò supponitur in objecto aptitudo aliqva, ratione cujus aptum sit terminare actum potentiæ, ut, verbi gratiâ, in colore & sono, respectu visûs & auditûs, ergò similiter in Ente, qvatenus intelligibile est, non solùm intelligitur facultas extrinseca, qvæ vim habet intelligendi, qvàmvis hæc necessaria sit, sed etiam ex parte ipsius Entis supponitur aptitudo intrinseca, cujus potest actum hujusmodi terminare. Prætereà hoc confirmant, qvæ in favorem primæ opinionis adducta sunt. Et hoc alterum est, qvod hoc loco notandum venit. Tertiò notetur, qvòd veritas ipsius rei *prior* sit cognitione, qvòdqve *hæc* potiùs *vera* denominetur *ab illa*, cujus est cognitio. Primò enim sunt τὰ πράγματα, res ipsæ seu Entia. 2. Seqvuntur τὰ νοήματα, conceptus, intellectiones, sive cognitiones rerum, 3. φωναὶ, voces, orationes, uti eruditè docet Aristoteles *lib. 1. de Interpret. cap. 1.* Plura alibi. Sicuti res non dicitur vera, à visione, qvia videtur, non ab auditione, qvia auditur; Sic nec à cognitione, qvia cognoscitur.

Idem observes velim *de bono transcendentali.* Errant non parum, qvi bonita-

tem Transcendentalem definiunt per relationem ad voluntatem DEI. Hæc enim Enti, ut sic, & transcendentali bonitati seu essentiali, non competit, nec locum habet *in primo bono*, qvod per essentiam & naturam suam ita bonum est, ut ea à voluntate nullo modo depẽdeat, nec inde mensurari, dirigi, aut æstimari debeat, uti hodiè argutari incipiunt novelli Metaphysici. Voluntas Dei non *prior*, sed in signo rationis, ut loqvuntur, posterior est bonitate essentiali, qvæ per naturam suam Deus bonus est, non sic in essentia sua per voluntatem. Videant ergò argutuli illi, qvalia sint, qvæ de Bonitate Transcendentali tam leviter effutiunt. Confabulantur illi, dictitant & scriptitant: *Relationem boni transcendental. ad rem ipsam* esse conseqvens relationis ad voluntatem Dei. 2. Voluntatem Dei esse principium *bonitatis essentialis*, seu Metaphysicè sumptæ. 3. Eandem *esse principium dirigens & normans, ad qvam omnia Entia* (bona debuisset dicere autor) *deducere debent suam bonitatem, ut & Entitatem.* Qvid fiet de bonitate ac Entitate Dei? NB. 4. *Bonum* (Transcendent. de hoc enim qværitur) *aliqvaliter*

liter elucet in perfectione divinæ voluntatis. 5. *Ob convenientiam Entitatis transcendental. etiam pari ratione fieri malum, bonum.* Ἀπαράδοτος. Ergonè malum habet Transcendentalem Entitatem, essentiam & naturam veram. 6. *Primum bonum & mensuram boni* (Transcendentalis.) Satis nugarum & ineptiarum. Conferantur Exercitationes & Partitiones D. Jac. Martini, de Bono, ubi ex Svaretzio, aliisqve probatissimis Autoribus accuratè satis exponit boni transcendentalis rationem formalem. Notabile est, qvod Fonseca libr. IV. Metaphys. cap. II. qvæst. 7. sect. 6. pag. 830. scribit: *Unde res primum habent, ut sint, inde habent primam bonitatis rationem. Cum igitur Deus ex seipso, cætera autem ex illius participatione habeant, ut sint, efficitur, ut ipse sit bonus primo communissimoq; bonitatis genere, qvia sibi conveniens, cætera autem, qvia illi congruunt.* De numero, ordine, pulchritudine, aliisqve, qvæ ab Alstedio affectionibus Entis Unitis assumuntur, differuimus in Theoria Transcendentali, ubi plura videantur. De duratione ac ubietate prolixè disputat D. Jac. Martini, in parti-

tionibus Metaphysic. Controvertitur 1. Num duratio & ubietas pertineant ad Ens, ut sic, qvod in vi nominis sic dicitur, seu nominale Ens, qvod præscindit ab Ente in actu & potentiali. An verò referendæ sint ad Ens, *participiale*, prout illud actu existit. Certè sine existentia rei, & sine esse actuali, ne fingi qvidem potest duratio rei. 2. Num duratio & ubietas omni Enti conveniant ratione Entitatis, qvatenus Ens est. 3. Num Entia *instantanea*, ut loqvuntur, qvæ in momento fiunt & desinunt, rectè dicantur durare ac alicubi esse. Qvid duratio sit, & ubietas, qvomodo rebus conveniant, primo omnium exponendum erit. Videatur *Svaretzius in disp. Metaph. 50. Sect. 2. & seqq. pag. 583. nec non disput. 51. de ubi sect. 1. pag. 619. 636. &c.* Duratio est permanentia rei in esse actuali. Qvæ uti propterea tractus sive mora existentiæ non inscitè dicitur, sic qvoqve ad Ens actuale referri solet, uti prolixè disputat *Scheiblerus lib. 1. Metaph. cap. 16.* Hic verò profunda difficultatum & dubitationum abyssus se pandit. Acriter disceptant & digladiantur Metaphysici de *esse essentiæ & existentiæ, de essentia & existentia*

tia creaturarum. Communis opinio est, existentiam contingenter advenire rebus creatis, adeoque non esse de essentia earum, nec de illis prædicari essentialiter, sed contingenter & accidentaliter, ut prolixè recenset Svaretz. *disput. Metaphys. 31. sect. 6. n. 15. sect. 6. num. 7. Fonseca super lib. 5. Metaphys. cap. 8. quæst. 5. sect. 9.* Contra militare videntur, quæ Svaretz. *ibid. n. 24. sect. 6.* differit, probatque, existentiam esse de essentia Entis creati, & creaturam revera essentialiter petere, actu existere, ut sit creatura. *Sicut albedo*, inquit, *est de essentia albi, ut album est, ita existentia est de essentia creaturæ, ut res actu creata est: Nam æquè vel magis formaliter illam constituit, quàm albedo album. Unde sicut est inseparabilis albedo ab albo, quin destruatur album, ita est inseparabilis existentia à creatura, quin destruatur creatura, & ideo non rectè infertur, si existentia sit de essentia creaturæ prædicto modo sumptæ, non posse creaturam privari existentia, quia solum sequitur, non posse illa privari, quin destruatur, & desinat esse creatura, quod verissimum esse constat.* Sed hæc dubia alibi fusiùs dissolvenda & enodanda exactiùs erunt. De Toto no-

tetur, quod duo requiruntur, ut aliquid sit totum. *1. Quædam pluralitas*, vel ut aliqua contineantur; ex uno enim non potest fieri totum, sed ad minimum requiruntur duo. *2. Debent illa plura ita contineri, ut constituant unum.* Item: Unum idemq; totum potest sustinere diversas totius rationes, respectu diversarum partium. Verbi gr. animal est *totum essentiale*; Physicum quidem, quatenus constat ex animâ & corpore organico: *Metaphysicum* verò, ut constat ex corpore animato, tanquam genere, & sensitivo, tanquam differentia. Idem animal est totum *integrale* respectu capitis, thoracis: est totum *universale* respectu hominis & bruti, &c. Plura οὐ ϕῶ alibi.

SOLI DEO ET CHRISTO GLORIA.

DIS-

DISSERTATIO
De
ACCURATO PHILOSOPHANDI GENERE,
Wittebergæ pro Locò inter Adjunct. Coll. Phil. concesso, habita 1624.

QVanti ex contemptu ablectioris Philosophiæ, & ex pravâ terminorum Philosophicorum applicatione hactenus enati sint errores, atq; adhuc quotidiè magis magisq; succrescant, experientia testatur nimium, & vel in Hæreticis, maximè in Photinianis, est perquàm notorium: adeò ut ipsissima necessitas ubiq; suadeat, ubiq; jubeat, hic cautius evigilare, ut, si fieri possit, tanto malo, tàm pernicioso, tàm vehementer grassanti, si non remedium emendandi aut averruncandi inveniatur, saltem impedimentum ulterius grassandi opponatur. Quam in rem & nos nunc quædam attentare, insimul & monere voluimus de accurato & legitimo Philosophandi genere:

nere: *ita scilicet ut ostendatur via rectè tenendi terminos Philosophicos, eosdemque* dextrè applicandi ad conceptus quosvis, præsertim Transcendentes, & divinos, *non rarò etiam ad summa mysteria, ubi ubi opus fuerit. Quo ipso non poterit non una patefieri fraus & iniquitas Sophistarum & hæreticorum in usurpandis adhibendisque terminis. Et quidem multa circa præsentem materiam dicenda essent, hâc tamen vice initii loco* potissima *duntaxat, eaq;* maximè necessaria *præstruam, sine quibus in accuratiore literaturâ haut licet quicquam benè perficere aut exsequi. Sit itaq; cum bono DEO.*

Thesis I.

Duo nunc pro ratione instituti nostri sunt universalia Philosophi officia: *Unum* absolvitur accuratâ rerum Philosophicarum, terminorum & principiorum notitiâ; *Alterum* eorundem usu genuino. Primùm enim, qui Philosophiæ operari accuratiùs constituit, is utique debet res suas *rectè cognoscere, & veritatem sui objecti exquirere*; ut inde distinctam eruat cognitionem eorum, quæ ad ipsius literaturam perficiendam spectant: Deinde verò illa *cognita trans-*

ferat

ferat oportet ad suum usum, ut illis juxta naturam convenientem utatur.

II. *Quoad prius* suppono: Intellectum nostrum in cognitione rerum non mensurare res, sed mensurari à rebus, ut rectè aliàs tenet tritum Philosophorum axioma. Etenim *debet intellectus cognoscere res, prout in se sunt extra ipsum*, ita, ut intellectio ipsis rebus conformetur, non verò prius res conformentur ad intellectum.

III. Notum enim est, quomodo omnis *cognitio* fit *adsimilatio inter cognoscentem potentiam & objectum cognitum*, qua intellectus per expressionem actu fit quasi ipsa res, quæ cognoscitur: ut disputant Physici in doctrin. de Anim. *Confer. Arist. 3. de Anim. cap. 7. seqq. Conimbricens. in Comment. ad libr. 3. de Anim. pag. 485. 487. Gilb. Jacob. Institut. Phys. lib. 9. cap. 4.*

IV. Indè dico, quo *Veritas cognitionis* tota & omnis, quæ est in Philosophiâ, consistat *in congruentia intellectus ad res ipsas*, secundùm speciem ab objecto productam, & ab ipso conceptam.

V. Scilicet *cognitio humana* ubiq; normatur, regulatur, mensuratur, adeoque

&

& verificatur ab ipsis rebus, quarum est cognitio.

VI. Quo posito & supposito, præ omnibus anticipemus oportet, *notitiam nostram in Philosophicis meditationibus nequaquam fundari in scriptis hujus, vel illius Autoris, nec verificari à libris aut literis & dogmatis consignatis.* Hæc enim duntaxat sunt arbitraria signa conceptuum, vel eorum, quæ fuêre in mente Scriptoris.

VII. Constat & hoc, *scientiam Philosophicam non mensurari à personâ loquente, proponente, aut scribente.* Attendendum enim potiùs quid dicatur, quàm quis dicat. Rectè *Philosophus lib. θ. Metaphys. cap. ult.* docet. *Non propterea, quod nos te verè putamus album esse, tu albus es; sed propterea, quod tu albus es, nos, qui dicimus, verum dicimus.* Plura hac de re, qui considerat, legat accuratissimam disputationem *Dn. D. Jacobi Martini de Vero, Uno, & Simplici*, ubi prolixè ostendit, quomodo Veritas (cognitionis) dependeat unicè ab objecto, sive reipsa, quam repræsentat & enunciat, non verò à subjecto sive personâ illam cognoscente aut eloquente. Item *Inst. Log. l. 3. c. 4. can. 8. & 9.*

IIX. Hinc apparet, quàm misera sit

& servilis illorum, maximè *Ramistarum* conditio, qui in suis studiis *Pseudosophicis* unicè inhærent sectæ suæ dogmatibus, libris, & autoritatibus humanis, quasi fundamentum veritatis Philosophicæ in iis contineatur.

IX. Gens sanè *Ramea*, uti artes *in libris essentialiter contineri somniat*, ita etiam nunquam ad accuratam Philosophiæ notitiam pervenire potest, errores ex erroneis scriptis undiquaque erroribus cumulando.

X. Qvim & apertè hinc redargui possunt *vanæ istæ calumniæ*, ex purâ putâ ignorantiâ ortæ Misosophorum, quibus *Philosophiam cerebri humani figmentum* esse clamitant, indeque variè eam variis convitiis temerè traducunt. Sciant isti audaculi, quod *Philosophia* sit *cognitio*, partim *ipsius* DEI naturalis, partim *creaturarum à Deo conditarum*. Quam sanè sapientiam homo non facit vel fingit, sed duntaxat apprehendit, inquirit, indagat, suisque præceptiunculis manifestat: modò adsequatur id, quod in reipsâ est.

XI. Imprimis præconcipiamus oportet, & sedulò urgeamus, quod *intellectio humana-*

humana debeat esse expressa REI *similitudo, à* RE *sive ab objecto dependens, & in mente repræsentata:* adeoq; vera demum ea sit cognitio, si species rei, quæ est in intellectu, respondeat objecto extra realiter posito, atque constituto.

XII. Quandocunque ergò intellectus apprehendit res, ut sunt, easq;, ut in natura compositæ sunt, componit, ut divisæ, dividit, & ex his discurrit, tum veritatem se consequtum esse quit gloriari.

XIII. Hoc fundamento constituto, nunc continuò circumspiciamus oportet, quomodo mens *veritatem illam Philosophicam in ipsis rerum thalamis absconditam*, radicatamque eruat, erutam accuratè teneat, atque contempletur.

XIV. Multa verò hanc in rem non inutiliter dici possent de modo cognitionis humanæ: quomodo hæc sit *discursiva*, non intuitiva: quomodo *procedat originaliter à sensibus*, juxta illud Philosophi: *Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu:* quomodo *per Inductionem & experientiam exstruat universalia*; Sed de iis partim alibi disputavimus in peculiari disputatione *de modo cognitionis humanæ*, partim non adeò sunt præsentis instituti.

ti. Nunc enim saltem ea attingere animus est, qvæ *in accuratiore via cognoscendi res Philosophicas* omninò observanda veniunt atqve urgenda.

I. *Abstractio conceptuum à se invicem.*

XV. Primum autem & maximè necessarium medium, qvod in accurato philosophandi genere principatum obtinet, est ABSTRACTIO, adeò qvidem, ut non immeritò in veriverbium abierit, *Solus est Philosophus, qvi benè abstrahit.*

XVI. Nimirum impossibile est, ut intellectus omnia simul uno actu, qvæ in re sunt, concipiat: ideò necessarium est, ut unum post aliud, & sejunctum ab alio distinctè apprehendat id, qvod fit per solam abstractionem mentis.

XVII. Abstractio enim est ille mentis actus, qvo uno apprehenso, non apprehendimus aliud, licèt ipsi de facto maximè sit conjunctum. Et rectè *Baranzanus part.*1. *Summæ Philosoph. disput.*3. *q.*3. ait: *Abstractio nihil aliud est, qvàm cognitio terminata ad unum, non cognitis his, qvæ cum eo sunt conjuncta*, sive non terminatur ad alia sibi annexa.

XIIX. Hac abstractione mentis res liberantur à conditionibus individuantibus, & ἁπλῶς in sua qvidditate spe-

ctantur: Abstractione res concretæ atq; compositæ sejunctis conceptibus distinctè apprehenduntur; Res confusæ & multiplices statuto ordine cognoscuntur: Substantialia ab accidentalibus separantur: Ratio totius à partium ratione sejungitur: Accidentia à semetipsis invicem discernuntur: Natura à suis modis distingvitur: Essentia ab adhærentibus vitiis discriminatur.

XIX. Et sic *distincti ubiqve efformantur conceptus*, qvorum hic rationem substantiæ, alter accidentis, alius totius, alius partis &c. fistat qvidditatem.

XX. Qvod profectò adeò necessarium est in accuratiore contemplatione, ut sine *abstractione nihil qvicqvam liceat benè efficere*. Sic nisi *peccatum*, tanqvam vitium accidentale, abstrahas mentaliter *à natura hominis*, non sanè intelliges, qvomodo Salvator noster sine peccato sit conceptus, & tamen habeat integram humanam naturam. Similiter *contra Flacianos* non verè demonstrabis, neglectâ abstractione, *peccatum neutiqvam esse ipsam hominis substantiam*. Et ita porrò in infinitis aliis.

XXI. Neglectâ, aut insuper habitâ hac

hâc viâ distrahendi permagni orti sunt ubiqve errores, & adhuc non minores succrescunt. *Photiniani* disputant contra nos ab absurdo, *qvasi tollamus completam Christi humanitatem, qvando statuimus*, humanitatem Christi non esse propriam personam. *Sed injuria est, & error sat crassus, & fortè ortus ex neglectu abstractionis.* Corrigatur ergò ex abstractione, & *abstrahatur humana natura à modo suppositalitatis, sive personalitatis*, & apparebit, qvòd humanitas in se essentialiter perfecta sit, licèt propriâ personalitate non subsistat, adeoq; careat illo modo suppositalitatis, qvi aliàs juxta naturalem statum humanis naturis superaddi solet. *Calviniani* contra nos pugnare solent, *qvasi veram Christi humanitatem negaremus, dum negamus, eam ita adstrictam esse loco, ut non possit esse in alio simul.* Qvid ibi aliter cogitandum, qvàm qvòd error cumuletur, dum Calviniani nolunt abstrahere *substantiam humanitatis ab accidentibus.* Abstrahamus ergò, & veritas humanæ naturæ manebit: Abstrahamus *accidentia interna ab externis*, & ea, qvæ immediatè rei constitutionem concomitantur, ab iis, qvæ ex imperfectione

qvadam accidentali oriuntur; & orthodoxa noſtra ſententia de humanitate CHRISTI conſtabit firmisſima.

XXII. Cæterùm non *unus* duntaxat conceptus objectivus diſcerni debet præciſione mentis *ab alio*, ſed porrò etiam alia addenda eſt ABSTRACTIO, eaq; non minùs urgenda, ULTIMATA nimirum & PLENARIA: UNIUS EJUSDEMQVE CONCEPTÛS ABSTRACTIO, qvâ *unus idemq; conceptus ritè pleneq; eruatur ex omnibus, qvibus ratione ſubjectorum vel accidentibus vel imbecillitatibus ſubjacet*, ita ut neqve in cognitione alicujus termini ſubſiſtamus, neqve ad applicationem deſcendamus, niſi conceptus iſte ultimâ abſtractione planè pleneq; ſit definitus & qvid de formali importet, exactè fuerit deprehenſum, atqve diu ruminatâ advertentiâ confirmatum.

2. *Abſtractio unius ejusdemq; Plenaria.*

XXIII. Qvod dico, attentè penſiculandum eſt. Nam nec ſine hac abſtractionis viâ feliciter progredi poteris. *In foro Philoſophico* non ſanè diſtinctè cognoſces *qvidditatem materiæ vel formæ*, niſi eam ex omnibus, tum corporibus, tum corporum conditionibus, vindicatam introſpicias. Sic *materiam primam*

ſive

sive simplicem esse eandem in cœlestibus atque in sublunaribus non adsequeris, nisi materiæ rationem dijudices *in ultima abstractione*: non prout est in elementatis & corruptibilibus rebus, sed prout in se & sua natura se habet: Non ex eo, quod ipsa *in inferioribus naturis per accidens* fiat subjectum, vel ut vulgò loquuntur, principium transmutationis, sed ex eo, quod *ratio materiæ per se infert*, quod ipsi propria natura indidit, quodque munus in omnibus omninò corporibus præstat atque exhaurit: Scilicet τὸ *recipere in se formam ad constituendum aliquod compositum*. Ita si ultimatò abstraxeris materiam, non difficilè erit identitatem ejus in omnibus corporibus perspicere, cùm illa *formalis ratio materiæ primæ* & simplicis in omnibus eadem reperiatur.

XXIV. In foro *Theologico* disceptari cœpit *de Personis divinitatis*, num sint veræ Relationes. *Ramistæ* quidam *negant* exindè, quia *relatio est accidens*. Sed *abstrahant ille terminum Relationis*, eumque in ultima sua formalitate considerent, & suam ignorantiam nolentes, volentes, agnoscere cogentur. Quod si enim per-

penderis relationem, non prout est in hac vel illa materia particulari, sed formaliter, & prout in sua natura est, mox apparebit, qvòd *Relatio, ut sic, in ultima abstractione sumpta dicat* Esse Ad, (non esse In (hoc est, respectum ad alium terminum, qvo illud esse Relativum terminetur.

XXV. Jam ex facili constat, qvòd *Personæ divinitatis verè sint & dici possint relationes*, eò qvòd inferunt respectum realem ad se mutuò. Sic Pater refertur ad Filium, etiam in divinis, & est Filii Pater. Filius æternus est Patris æterni Filius, & Spiritus Sanctus est utriusqve Spiritus.

XXVI. Vanum ineptumvè est, qvod Ramistæ obganniunt *de accidente*. Non enim omnis relatio est accidens, utpote *Transcendentalis*, sed duntaxat prædicamentalis illa, de qva in prædicamento Relationis directè agi solet. Et licèt in qvadam relatione (inhærente) simul involvatur Esse In; hoc tamen non *formaliter est in Relatione, sed materialiter, & saltem prout Relatio est in hac vel illa specie.* Qvæ accidentalis conditio relationis omninò abstrahi debet

bet à relatione, ut sic, universaliter sumta.

XXVII. Huic Abstractioni tertiâ vice in accurato philosophandi genere succenturiatur qvasi INQVISITIO IN FORMALEM TERMINORUM RATIONEM. Etenim nimioperè interest verum τὸ τί ἦν εἶναι terminorum prensare ac arctè tenere. Proinde circumspiciendum est cautiùs, seduloqve id agendum, ut *conceptum formalem alicujus termini* indagemus exactiùs. 3. *Inqvisitio in formal. termini.*

XXIIX. Rationem hanc qvidditativam noëmatum obtinere poterimus, qvando scilicet non acqviescimus in iis, qvæ rebus seu conceptibus inesse deprehenduntur, prout *in his vel illis subjectorum conditionibus* existunt, sed ulteriùs progrediendo omnia, à qvibus iste conceptus est abstractus, & qvibus iterum attribui debet, percurrimus, conferimus, expendimus, donec eluceat, qvidnam conceptus iste *hisce omnibus commune* habeat, seorsim *in suâ idea* spectatus, qvodq; iis omnibus sine errore adaptari possit: Adeoq; qvid *de se & præcisè formatus in suâ ratione & entitate definitivâ importet*, obtineatur.

XXIX. Et hoc ipsum qvoqve si non modò in Philosophia, sed etiam in omnibus penè disputationibus probè observaretur, non sanè tot ancipites & maximam partem iniqvæ passim audirentur opiniones. Nescio enim, num ullus sit error in Philosophia, qvi hoc unico medio observato non facilè animadvertatur & profligetur. Non desunt, qvi *Deum substantiam esse negant.* Cur ita qværis? Scilicet *substantiam accidentibus substare ajunt*, adeò ut illam describere ausint, qvod habeat *proprium esse & sustinere accidentia.* Sed error est, qvi facilè ejicitur, si inqviratur *in formalem substantiæ rationem*: Ubi offeret sese τὸ *subsistere*, ita ut substantia formaliter & præcisè sumta sit *Ens subsistens.* Hoc enim omnibus substantiæ nomine gaudentibus reverà & adæqvatè tribuitur.

XXX. Qvòd autem substantia nonnunqvam sit *subjectum accidentium*, id ipsi planè est accidentarium, & *contingit substantiæ cuidam*, qvatenus applicatur ad creaturas, & ex accidentali compositione.

XXXI. Si ergò *formalem substantiæ rationem* sumis, arctèqve tenes, & qviddi-

tati-

tativè in propria formalitate consideras substantiam, tum optimè & *propriissimè Deus erit substantia*, cum ipse propriissimè subsistat, & à se, per se, proprium esse habeat.

XXXII. Photiniani contumaciter pugnant, *unum non posse esse commune pluribus*. Indeque nostram fidem infringere aliaborant, quâ credimus, *Deum in essentia unum, & trinum in Personis*. Putant enim, si essentia Dei sit una, quod tum nequeat esse communicabilis tribus personis. Verùm inquiramus in formalem rationem Unitatis, & error iste subitò corruet.

XXXIII. *Unum est, quod* In Se Indivisum *est*, inquit unanimis Philosophorum nobiliorum corona. Et Unitas in se & de se non infert Incommunicabilitatem, sed indivisibilitatem. Ergò Unitas non opponitur communicationi, sed divisioni.

XXXIV. Hanc *formalem rationem Unius* quando urgemus, adoque de Unitate judicamus, non procul reperitur in creaturis, sed ex suâ naturâ, citra omnẽ difficultatem error iste Photinianorum profligatur. Apparet enim, quod *ad*

unitatem formaliter non requiratur incommunicabilitas, quam isti in datâ objectione urgebant, *sed per accidens & materialiter in creaturis*, ita se habeat Unitas. Ex materiali autem & accidentali termini conditione argumentari ad rationem termini universalem est valdè absonum, & in accuratiore philosophandi viâ planè ridiculum.

XXXV. Quocirca *hæc ria* modò allata *castigatioris Philosophiæ præsidia in primo suo officio Philosophus seduò observet*, necessum est, nisi errores ubique cumulare velit.

XXXVI. Porrò, ut *ad alterum Philosophi officium* accedamus, quod usum terminorum Philosophicorum, vel doctrinæ ritè cognitæ usurpationem attinet, in aprico est, quod iste *usus Philosophiæ* sit, vel esse possit multiplex & multivarius *in docendo & disputando*: potissimus autem eluceſcit *ex accuratâ terminorum principiorumq; applicatione*.

XXXVII. Quæ ut rectè fiat, cautè circumspiciendum est, imprimis ubi *termini ex naturalibus desumpti ad conceptus superiores, Transcendentes, Metaphysicos vel mysticos*, & non rarò *ad summa mysteria* pro-

propter penuriam vocabulorum sunt applicandi. Tunc enim facilè fieri potest, ut in errores præceps agiteris, nisi certis præsidiis & adjumentis præmunitus procedas.

XXXVIII. Varia quidem hîc & annotanda & observanda venirent, partim ex *Metaphysicæ*, partim ex *Pædiæ & habitus intelligentiæ*, partim ex *Logicæ* meditullio derivata: sed nec in unâ disputatione possunt condignè proponi, nec mei instituti nunc est, omnia consectari: Saltem *potissima & maximè necessaria* in accuratiore philosophandi genere, inque terminorum applicatione circa cōceptus transcendentes & mysticos observanda hac vice attingo, quorum primum est *Ampliatio*, alterum *Analogia*, tertium *Liberatio termini ab omni imperfectione.*

XXXIX. Ampliatio locum habet non tantùm *in Enunciationibus*, quando terminus à minore suppositione ad majorem extenditur, uti *Hispanus & Summulistæ P. Hispani commentatores in Parvis Logicalibus* docent: sed quàm maximè etiam *Ampliatio termini simplicis* fieri potest & debet. 4. *Ampliatio.*

XL.

XL. Ampliatio hæc instituitur, quando terminus simplex, datâ re aliquâ, cui non quadrat contractus, magis magisq; & ulterius extenditur atque abstrahitur ita, ut sine discrimine ipsius rei possit ipsi appropriari.

XLI. Non enim de termino est judicandum, quatenus in hac vel illa specie reperitur; sed semper ex eo, quod *simplici suppositione*, *vigq; propriâ* infert. Scilicet *formale termini* ubique quærendum est & tenendum, uti modò visum est.

XLII. Aristoteles *potentiam activam* dicitat, esse *principium transmutandi aliud, in quantum aliud.* Quæ ratio potentiæ activæ *materialis* est, non formalis, nec competit omnibus agentibus, sed tantum quibusdam.

XLIII. DEUS sanè est *potentissimus.* Etiam intellectui non deneganda est vis activa. At verò Deus *suam δωναμιν præcisè non exercet cum transmutatione.* Quid enim in creatione transmutavit, ubi nihil erat? Neq; intellectus propriè transmutando suas perficit operationes.

XLIV. Itaque illa *Aristotelica Suppositio Potentiæ Activæ* nimis contracta erit, & saltem *pro quibusdam potentiæ speciebus* for-

formata. Nos ergò si rectè accuratéque velimus applicare illum terminum ad omnia agentia, priùs *ampliemus terminum potentiæ activæ* oportet, ita ut illum non tantum ex creaturarum potentiâ determinemus, sed eum porrò abstrahamus & extendamus, quo possit omnibus verè agentibus reverà quadrari.

XLV. Sic ergò dicamus, *Potentiam Activam* in sua ampliata ratione non mox inferre principium transmutandi, sed *principium* AGENDI, hoc est, vim seu δώαμιν operandi, sive postmodum in specie illa se exerat cum motu, quod finitæ est, sive sine motu, quod infinitæ proprium.

XLVI. Quo observato, sine omni prorsus erroris periculo dicetur, *DEO maximè potentiam activam convenire*, adeò ut sine mutatione illam miraculosè spectandam exhibeat. Sic & intellectus benè erit principium agendi.

XLVII. Similiter *de principii voce* tenendum. Vulgò quidem dicitur: *Principium est id, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur*: sed nisi cautè hîc procedas, facilè poteris blasphemiarum portas aperire hæreticis Photinianis.

XLIIX.

XLIIX. Ex Patrum Scholâ discimus: *Patrem æternum esse filii æterni principium.* Et benè, modo ritè *terminus principii* amplietur.

XLIX. Accuratiùs ergò ita pones: *Principium in se se est & dicitur id, à quo aliquid procedit quocunq; modo.* Sic enim sine errore Principii nomenclationem Deo esse impositam dispalescet.

L. Adhuc implicatior est quæstio, *differantne personæ divinitatis realiter, nec ne.* Keckermannus negat realiter differre, metuens, ne multiplicet essentiam Dei. Putat enim nullam esse speciem realis distinctionis, quæ non involvat essentialem.

LI. Sed ille priùs *terminum realis distinctionis* in suâ justâ ampliatione debuisset attendere, antequam hæc divulgasset. Immò si vel saltem rectè cognovisset *naturam distinctionis realis*, non tam enormiter peccasset.

LII. Enormiter falsum est, *omnem distinctionem realem statim esse essentialem*: cùm esse possit vel *Realis tantùm*, vel *Realis & suppositalis*, qualis est inter duo suppositа ejusdem speciei: vel demum unà & *essentialis*, ut hac de re in Metaph. disp. dictum est fusiùs.

LIII.

LIII. Insuper nec hoc ubique concedendum, quod *omnis distinctio realis* necessariò absolvatur *inter res & res diversas*: cum etiam esse queat inter modos reales diversos aut oppositos, quorum unus non est alter.

LIV. Potiùs ergò & hîc urgeamus *Ampliationem terminorum*. Laudemus illos, qui realem distinctionem extendunt ita, ut denotet diversitatem vel *inter res distinctas*, vel *inter oppositas relationes*, sive istæ relationes involvant plures essentias, uti fit in creaturis, vel plures saltem subsistentias in una individuâ essentiâ.

LV. Sic igitur *distinctio realis in suâ justâ amplitudine* reverà conveniet etiam illis, quæ differunt, ut oppositæ relationes, quarum una est incommunicabilis alteri.

LVI. Jam facilè intelligitur, quomodo *Personæ divinitatis distinguantur realiter*, quodque distinctio realis ipsis rectè accommodetur ab Ecclesiâ.

LVII. Præterea essent multa alia, ex quorum applicatione ampliationis usus præemineret. *De Concreti & Abstracti Logici, vel Synonymi & Paronymi ampliatione* si moneremus, fortè nihil abs re face-

faceremus: Immò de multorum *terminorum Logicorum ampliatione* dicendum hic esset, quomodo nempè & hi applicari possent *ad superiores conceptus*, pro quorum examine directè non sunt formati ab Aristotele: Sed quia angustia unius disputationis illa condignè capere non potest: quia insuper alibi de illo momento Logicæ in nostris commentationibus de Praxi Log. fusiùs dictum est, idcircò nunc istis relictis ad alia properamus.

LVIII. Porrò necessarium id quoque est, ut ANALOGIAM quoque attendant, si qui accuratiùs philosophari cogitant, & sic vim ablectioris Philosophiæ experientur ineffabilem.

5. *Analogia.* LIX. Sanè *DEUM & creaturas in infinitum distare* novimus omnes. Ergò necessum erit, ut *inæquali modo*, adeoque *per analogiam* quandam *termini attribuantur DEO & creaturis*. Ut ergò terminos à naturalibus & finitis rebus desumtos, Deoque in sacris applicatos ab errore salvemus, quàm maximè intererit, ut illi *per modum prioris & posterioris*, itemq; *per eminentiam* explicentur atque examinentur.

LX. Et

LX. Et nunc qvidem potisſimùm urgemus illam *analogiam* ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν: qvæ conſiſtit in hoc, qvod in iis, qvæ ita dicuntur ab uno ad unum, eſt dependentia neceſſaria aliorum ab uno, qvatenus talia ſunt.

LXI. Scias ergò & notes probè: *terminos ſæpè per modum dependentiæ, ſive prioris & poſterioris, explicandos eſſe*, ita ut cautè animadvertatur, qvomodo termini rebus vel profanis vel divinis applicari ſupponantur, an ſumantur πρώτως *& per ſe*, an verò ſaltem *ſecundariò & propter aliud*, qvatenus ordinem habent ad potisſimum analogatum. Non rarò namqve contingit, ut terminus, qvod huic vel illi ſit approximatus, alteri acceptum referre neceſſum habeat.

LXII. Qvo neglecto, non tantùm infiniti ſuccreſcent errores, ſed etiam per multa neqveunt ſolidè defenſari. Etenim (ut taceamus Philoſophica, qvæ in aprico ſunt) reſpice ſaltem *myſteria* admiranda, & veneranda illa *unionis*, tum *perſonalis*, tum *ſacramentalis*.

LXIII. Non ſanè *attributa divinitatis* carni Chriſti paſſim appropriata elucidare, aut propugnare accuratiùs defen-

sare poteris contra contumaces opponentes, nisi per analogiam. Non benè percipies, qvâ ratione *idiomata divina de utraq; Christi natura* dicantur, nisi per modum analogiæ. Non ab erroribus & blasphemiis Calvinianorum hæc eadem vindicabis, nisi vim analogiæ urseris.

LXIV. Qvod nempe πρώτως & καθ' ὑσίαν dicantur *de divinitate*, cui per se primò insunt, δευτέρως verò & καθ' ἄλλο *de humanitate*, cui participativè tantùm propter unionem cum λόγῳ arctissimam competunt.

LXV. Similiter eveniet *in Sacramentorum negotio*. Qvomodo enim *oralem manducationem corporis Christi* in Cœnâ Dominicâ, in puncto contradictionis, propugnabis exactiùs, nisi per analogiam? Dicendum qvippe est, *manducationem panis oralem primariò esse manducationem*, cùm sit Physica: *manducationem verò oralem corporis Christi esse secundariam*, adeoqve propter illam Physicam, (qvòd sacramentaliter cum pane sit unitum) dici & esse manducationem oralem.

LXV. Hæc analogia si rectè perpenditur, facilè corruunt Calvinianorum so-

sophismata, qvando clamitant, *oralem corporis Christi esionem aut esse Physicam, aut esse nullam.* Rectissimè ipsis respondet D. Jac. Martini *in Exerc. Metaphys. l. 2. Exerc. 4. theor. 7. pag.* 661. per analogiam ipsum esse non tolli, licèt modus inessendi sit diversus.

LXVI. Qvando igitur manducatio oralis dicitur *genus analogum manducationis, panis & corporis*, eò non negatur manducatio corporis, sed reverà asseritur, *in sacrâ Cœnâ sumi ore corpus Christi*, & fieri esionem oralem corporis Christi, cum hâc tamen limitatione & distinctione, alium esse *modum* esionis panis, & iterum alium corporis Christi. *Ille* enim est Physicus & naturalis: *Hic* verò mysticus & Sacramentalis: Illa manducatio est primò talis; Hæc verò mediante Sacramentali unione propter illam.

6. *Liberatio termini ab omni imperfectione.*

LXVII. Deniqve in accurato philosophandi genere, & potissimùm *in applicatione terminorum ad conceptus divinos*, freqventissima esse debet Liberatio Termini Ab Omni Imperfectione. Etenim omnes concedunt, Deum non debere æstimari ex abjectæ creaturæ conditionibus. Omnis imperfectio ter-

mini priùs removenda est, anteqvam Deo tribuatur, *ut eruditè disput. Thomas distinct. 4. q. 1.*

LXIIX. Rectè monent Eruditi, pariterq; clamitant omnes, ejiciendos esse illos, qvi *providentiam divinam & concursum Dei* cum causis secundis negare præsumunt hoc ex capite, qvod *ista providentia molestiam Deo crearet*, indeq; defatigaretur Deus. Impium hoc esse, omnes sanæ mentis agnoscunt, & confitentur, certi, qvòd *concurrere cum creaturis Deo sit ipsa qvies.*

LXIX. Molestiam autem, qvam in agendo sentit creatura, esse ob vanitatem, cui est subjecta, nemo non concedit. Removendam igitur esse imperfectionem creaturarum, in aprico est.

LXX. Qvod oculatissimum philosophandi præceptum *de liberatione terminorum ab imperfectione* (qvam non rarò accipiunt termini à creaturarum imbecillitatibus) si piè considerarent, & observarent *Photiniani*, non sanè, non ita *de generatione æternâ Filii æterni Patris* ineptirent, nec omnem generationem statim diversas essentias inducere garrirent. *Qvâ de re videsis D. Jac. Martin. prolixè*

lixè disputantem in lib. 2. de Tribus Elohim cap. 16.

LXXI. Etenim si vel saltem *formalitatem generationis* attenderent, advertent utiqve, qvòd *generatio* de se tantùm inferat *essentiæ communicationem cum consecutione relationum Patris & Filii in intellectuali natura.* Velut magnus ille Theologus Grawerus *in Centur. 1. qvæst. illust. disput. 3. qv. 6.* loqvitur, qvòd generatio generaliter loqvendo importet productionem, qva producens communicat producto eandem, qvam habet, naturam. Intellige productionem non Physicè, sed generaliore Ecclesiastico sensu. Hæc ita optimè Deo Patri tribui posse videbunt.

LXXII. Jam exactè instituenda est liberatio termini ab omni imperfectione. Ne enim Adversarii sibi imaginentur, qvasi *generationis in divinis eadem sit ratio, atqve in corporibus & imperfectis creaturis,* liberandus porrò venit terminus generationis ab omni imperfectione, ut d. l. Jacobus Martini monet.

LXXIII. Sunt in corporum naturalium generatione duo: VIA & TERMINUS. In *via* est qvædam *perfectio*, scil. *nasci* &

jam *generari*. Sed adest etiam *imperfectio* non minima, scilicet *carentia termini*.

LXXIV. Qvemadmodum enim omnis *motus* est *actus imperfectus* in potentia Entis, qvatenus talis: hoc est, tendentia & via qvædam ad id, qvod nondum habet, sic etiam *in generatione creaturarum* producitur id, qvod nondum erat, adeoqve in omni generatione naturali est illa imperfectio, *non habere terminum ad qvem*.

LXXV. Hæc autem omnia imperfectionem habentia: *Mutatio, Tempus, Successio prioris & posterioris, Carentia termini ad qvem*: non sunt de essentiâ generationis; alioqvin corruptio, imò omnis motus formaliter esset generatio, sed accidunt hæc generationi ex imperfectione creaturarum. Cùm enim agens creatum communicare suum esse neqveat, nisi priùs agendo in materiam carentem formâ illâ, qvam producere intendit, hinc est, qvod agens creatum non possit generare transmutando subjectum de forma in formam.

LXXVI. Hanc igitur mutationem sive traductionem potentiæ in actum generationi accidere propter generantis

&

& generandi imperfectionem, liqvidò constat.

LXXVII. Sic etiam *in termino generationis* est & Perfectio & Imperfectio. *Perfectio* termini generationis exprimitur per vocem Natus est, qvòd jam res sit producta: *Imperfectio* verò est, qvòd Desit Actus Nascendi, qvòdqve ista generatio jam tempore sit finita, & non perpetuetur. Imperfectionis hoc est. Accidit enim generatio ex eo, qvòd temporis varietate in tempore facta varietur per successionem prioris & posterioris.

LXXVIII. Qvid jam Photiniani? Qvicqvid in generatione perfectionis est, abstrahatis, & generationi æternæ adscribatis. *Imperfectionis* autem, qvæ ipsi per accidens adhæret, tollatis, nisi velitis *res infinitæ distantiæ* confundere. Hoc facto, sophismata vestra nullo planè sanioris Philosophiæ subsidio palliata videbitis.

LXXIX. Sed qvid? videte potiùs, qvomodo *ipse Deus hasce generationis perfectiones*, remotis aliis imbecillitatibus, *adsignavit generationi filii sui unigeniti*: dum *Psal.* 2. graviter ait: Hodie Genui

Te. *Hodiè genui te*, ait, attendatur hoc. Cùm enim illud, qvod fit, qvia nondum est, incompletum est, qvod autem factum, completum, & ita perfectum est, ideò ut removeat istam imperfectionem in via generationis, scilicet carentiam termini, dicit, (*attendatis Photiniani*) dicit, inqvam, *non genero te*: Sed Genui Te, qvia jam perfectus est, & jam terminus generationis præsens.

LXXX. Et porrò ne putetur, *generationem hanc Filii æterni* esse in præterito, ideoq; etiam, ut tollat qvoqve id imperfectum, qvod est in termino generationis creaturarum, scilicet *defectum actus nascendi*: addit insuper & expressè ponit *ipsum nascendi actum*, Hodie: *Hodie*, inqvit, Deus, ipse Pater filii æternum geniti, Hodie Genui Te: Ut sit sensus; perfectus es filius, & generatio tua æterna est, & semper à me generaris. *Videatur Hervetus Brito distinct. q. 1. Thomas part. 1. q. 27. art. 2.*

LXXXI. Hinc lucidissimè apparet, qvomodo *in generatione divina* etiam ipsa Scriptura conjungat utrumq;, qvod antè castigatioris Philosophiæ ratio exposcebat, nimirum *actum nascendi*, & *ipsum*

ipsum generationis terminum. Et sic perpetuò verum est illud Psalmi 2. *Ego hodiè genui te.*

LXXXII. Quocirca opera danda sedulò est, ut, si veritatem velimus ubique sartam tectam, ratamque servare, terminos *præcisè in suâ propriâ formali quidditate* consideremus, & si quæ *imperfectio termino adhæreat ex imbecillitate creaturarũ*, quibus unà est commista res per terminum significata, mox sedulò circumspiciendum erit, ut *terminus liberetur ab omni imperfectione accidentali*, antequam de ejus applicatione ulteriore cogitetur.

LXXXIII. Hinc ergò summatim è dictis ita concludo. Nemo verè, multò minus accuratè, philosophari potest, nisi *1. abstrahat terminos à terminis*, conceptus à conceptibus, singulos distinctè consideret, expendatque. 2. nisi *terminum unum eundemq; plenariò & ultimatò abstrahat*, illumque in ultima sua abstractione dijudicet: nisi *3. in formalem termini rationem inquirat*, ejusque præcisam propriam quidditatem urgeat: nisi 4. pro re natâ *terminorum positiones ritè ampliet*: nisi 5. *Analogiam attendat*, & imprimis *applicationem analogicam*, ubi o-

pus fuerit, instituat: & 6. denique nisi *terminos purificet ab omni imperfectione accidentali.*

LXXXIV. Proindè prima, eaque maximè necessaria in vero, accuratoq; philosophandi genere, præcepta sunto hæc sex nostra modò delibata. *1. Abstractio termini à termino. 2. Abstractio unius ejusq; conceptus ultimata. 3. Inquisitio in Formale termini. 4. Ampliatio. 5. Analogia & 6. Liberatio termini ab omni imperfectione.*

LXXXV. Quibus observatis, non modo orthodoxam veritatem ubique faciliùs intelligere, atque in certamine vehementiore faciliùs defendere poterimus, sed & haut obscurè apparebit, nec non apertissimè inclarescet, quomodo hæretici in suis disputationibus, ex ratione contra nos institutis, planè *non philosophentur*, sed pessimè & vanissimè *sophisticentur*: quomodo manifestam vim intorqueant Philosophiæ, eâque fraudulenter abutantur. *Hæc sunt, quæ in juvenilibus studiis pro more philosophandi recepto, exercitii & speciminis philosophici ergò tum temporis meditabar, & proponere volui.*

SOLI DEO GLORIA.

DISPU-

DISPUTATIONES BINÆ
APOLOGETICÆ
De

CAUSIS PER ACCIDENS,

QVARUM PRIMA EST
κατασκαστική,
In qva

Defenditur theſis, Cauſam per Accidens eſſe veram, ac realem cauſam, & Adverſariorum ſtrophæ refelluntur.

THESIS

Thesis I.

COmmuniter tradunt Philosophi, Causam per Accidens impropriè sic dici, atque adeò non esse veram causam, cùm nullâ necessitate, nulloq; ordine ad effectum producendum concurrat. Quam opinionem hodierni quidam Disputatores in vicinâ Academiâ ambabus, quod dicunt, manibus acceptant, eamq; eò extendunt, ut audacter scribant, terminum per Accidens in hoc loco esse alienationem, seu alienantem particulam. Verba eorum hæc sunt: *Qui statuunt, Causam se habere ad Causam per Accidens, sicut genus ad speciem, superius ad inferius, oppidò falluntur. Τὸ per Accidens est determinatio alienans, seu tollens rationem causæ, sicut loqui solent. Nullam in scriptis Aristotelis legimus definitionem causæ. Franciscus Svaretz ait, Causam in suâ latitudine esse principium per se influens esse in aliud. Quam definitionem ferè omnes, quos vidi, probant & usurpant. Si ergò ad rationem Causæ in genere pertinet per se influere; & verò per se & per Accidens opponuntur, & eorum unum tollit alterum, manifestissimum est, τὸ per Accidens esse determinationem tollentem rationem Causæ, & Cau-*

Opinio adversæ partis.

Causam per Accidens non dici Causam propriè, sed æquivocè, sicut serra de serra ferreâ & cereâ, & homo de homine vivente ac mortuo, æquivocè dicitur, ita ut cereum serra, & mortuum hominis rationem tollat. Quemadmodum ergò non sequitur: est serra cerea. E. est serra: est homo mortuus. E. est homo; ita parùm aptè colligitur: est causa per Accidens. E. est causa. Hæc illi.

II. Mirum sanè istud est, quod τὸ *per Accidens* in ratione causandi sit non causare, id quod præter & contra omnem loquendi usum est. Quis enim fando inaudivit, *per Accidens esse idem, ac non esse, vel per Accidens fieri, esse non fieri, per Accidens occidi, aut loqui, esse non occidi, non loqui, per Accidens scribere, bibere, errare, esse non scribere, non bibere, non errare.*

III. Attende verò, cur ita philosophentur isti disputatores. Scilicet scripserant, *Deum esse Causam peccati per Accidens*, & inde accusabantur, quod Deum peccati causam facerent, eo ipso, quo statuunt, Deum esse causam peccati per accidens. Ecce, quid replicant isti, quid moliuntur? audacter negant illam consequentiam, & hypothesin faciunt, Cau- *Causa litis.*

Causam per Accidens non esse veram causam, sed æqvivocè sic dici. *Quicquid autem*, pergunt illi, *æqvivocè tale dicitur, reverà tale non est*: *Qui dicit, picturam esse hominem æquivocè, is hoc ipso negat, picturam esse hominem*: *Qvi asserit, virginem defloratam æquivocè esse virginem, is negat, eam esse virginem, nec qvicqvam ei addit honoris. Sic & qui dicit*, (verba sunt Adversariorum) *Deum esse Causam peccati per Accidens, is negat, eum esse Causam peccati, nec quicquam honoris ipsi detrahit.* Ita scilicet illi Disputatores sapiunt. Et hæc quidem origo est, atque processus illius contentionis: factum inde est, ut hodieque totis viribus contendant, τὸ *per Accidens in Causis* esse determinationem alienantem, quâ tollatur vera causæ ratio.

IV. Qvod si dixeris, frustrà sic disputari, & abstinendum potiùs esse ab ejusmodi λογομαχίαις: Satius est, prorsus non ita loqvi, (*Deus est Causa peccati per Accidens*) si nimirum hæc, per Accidens Causa, idem est ac non Causa: si dicere per Accidens Causam, est dicere, non esse Causam; tum replicant illi, contenduntque, Causam per Accidens habe-

habere respectum ad effectum, inq; illo ordine non esse idem, ac non Causam. *Etiamsi*, ajunt, *Causa per Accidens sit idem, ac non Causa, non tamen idem est respectu effectus, cum quo Causa per Accidens conjungitur.* Quod quomodo in præsenti negotio de Causâ peccati defendere velint, dispiciant ipsi. Eâ certè ratione non absolvunt se ab intentato crimine, ut Deum peccati Causam faciant, sed magis magisque prodant culpam, erroremque.

Causa per accidens respectu effectus qualis.

V. Nos, missis istis blasphemiis, quæ in Optimum & Sanctissimum Numen inde redundant, in genere duntaxat *de Causa per Accidens* disquisitionem instituemus. Dicunt ergò, *Causam per Accidens in ordine seu respectu ad effectum non esse idem, ac non Causam.* Benè est. Acceptamus, quod profitentur. Causa per Accidens *non est idem, ac non causa in ordine ad effectum* seu respectu effectus, cum quo conjungitur. Hoc scilicet est, quod petimus. Et qvia ita est, sequitur inde, *respectu effectus* esse veram Causam, sicq; tollitur hypothesis.

VI. Qvæstio est, quomodo Causa per Accidens se habeat ad effectus per Accidens,

Causa per accidens non est idem, ac non causa.

cidens, aut qualis sit in ordine ad effectum suum. An ut non Causa adeoque Causa per Accidens in illo ordine sit idem, ac non Causa. Respondent illi, *tum non esse idem, ac non Causam.* E. erit vera Causa. Argumentor:

Quacunq; Causa non est æquivocè talis respectu effectus, seu non est idem, ac non Causa respectu effectus, illa est vera Causa ejusdem effectus:

At Causa per Accidens non est æquivocè talis respectu effectus, seu non est idem, ac non causa respectu effectus.

E. Causa per Accidens est vera Causa ejusdem effectus.

Minor propositio desumitur ex verbis Adversariorum: *Major* probatur ex immediatâ oppositione inter Causam & non Causam, Verum & non Verum, itemque ex *respectu Causali.* Certè respectus Causæ ad effectum arguit Causam, & fundatur in Causalitate. Notanter loquor *de respectu Causæ.* Etenim secus esse in respectu locati ad locum, vel continentis ad contentum, vel subjecti ad adjunctum, &c. nemo tam bardus facilè est, qui nesciat.

VII. De Causâ hîc nunc agitur, quæ sic

sic dicitur. *Ea est vel vera Causa, vel non Causa in ordine ad effectum.* Unde nomen Causæ sortitur. Fatentur ipsi, *non esse non Causam.* Erit ergò vera causa: adeoqve hactenus contra propriam hypothesin disputârunt.

VIII. Sed porrò ajunt: *Ille, qvi fodit agrum, & præter intentionem thesaurum invenit, ratione influxûs moralis seu intentionis non magis est Causa, ac alius, qvi etiam fodit & nihil invenit.* Hæc sanè, tantum abest, ut priora confirment, ut evertant potiùs. Dixerant, Causam per Accidens in respectu ad effectum *non esse idem, ac non Causam:* nunc asseritur, non esse magis causam, qvàm eam, qvæ nullo modo talis est.

IX. Supponimus tanqvam exploratum, eum, qvi non invenit thesaurum, *nullo modo esse Causam inventionis thesauri.* Hinc ita τρὸς ἄνθρωπον colligimus:

Qvi fodit terram, & invenit thesaurum præter intentionem, is nullo modo est causa in respectu ad effectum.
Atqvi is, qvi fodit terram & invenit thesaurum, est causa per Accidens.
Ergò Causa per Accidens nullo modo est

causa in respectu ad effectum, sicq; erit idem, ac non Causa.

Conclusio contradicit prioribus, verè tamen sequitur ex præmissis. *Minor* est extra controversiam. *Major* probatur ex dictis Adversarii, qvia *non magis est causa, qvàm is, qvi nihil invenit.* Hic verò prorsus non est Causa. Ergò nec is, qvi invenit aliqvid.

X. Obvertis, *ratione influxûs moralis & intentionis* non est magis Causa. Anne verò agnoscis alium modum seu influxum, seu rationem, qva est magis Causa: Si ais, erit alio aliqvo modo vera Causa, id qvod est contra hypothesin propriam, si non, remanet contradictio modò notata.

XI. Neqve verò se expediunt satis, qvando aliqvod discrimen afferunt inter non Causam *simpliciter sumptam*, & Causam per Accidens. Hoc enim nihil ad rem facit. Non qværitur de eo, qvod prorsus non est Causa, sed de Causa, qvæ communiter sic dicitur, adeoqve in ordine ad effectum sumitur, ut suprà notavimus. Omninò urgemus *respectum Causæ per Accidens ad effectum*, sed eum talem esse, cujus respectu non est vera Cau-

Causa, id est, qvod constanter negamus. Nimirum *Causæ respectus iste est ad suum causatum*, non alterius, isqve præterea talis, qvâ discernatur Causa per Accidens ab eo, qvod non est Causa. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Ad rem propiùs.

XII. Qvæstio est, an Causâ per accidens æqvivocè, ac nominetenus tantùm sic dicatur adeò, ut per accidens sit ratio alienans. Negant *Wittebergenses Philosophi*. Contrà disputant alii, & qvidem primò prætendunt eos, qvi statuunt, *Causam per accidens esse veram Causam*, inter se non convenire, cùm alii statuant, *omnem* Causam per Accidens esse veram causam, alii *qvandam* talem esse. Verùm vanissimus prætextus iste est. Omnes Wittebergenses Philosophi strenuè impugnant Adversariorum errorem, de qvo nunc controvertitur, nec dissentiunt statim in ipsa opinione, qvi in modo loqvendi, proponendi, refutandi & opponendi discrepare videntur. Particularis propositio affirmans non opponitur Universali affirmanti, nec eam negat. Uterqve expugnat opinionem Adversarii, tum qvi contradictoriè, tum qvi contrariè opponit.

XIII. Deinde obvertunt, *Causam per accidens opponi qvidem præcisè Causæ per se, sed ita, ut Causa in communi respectu Causæ per Accidens non sit univocum, nec analogum, sed æqvivocum: propterea Causa in genere, & Causa per se sint synonyma, & utraqve repugnet Causæ per Accidens, sicut Ens in communi, & Ens reale, præcisè opponuntur Enti rationis.* Μεγαλίων αἴτημα. Falsissima ea est hypothesis, qvam indoles terminorum *per se ac per accidens*, eorumqve vis nativa luculenter satis redarguit. Anne per accidens agere est non agere? num per accidens loqvi, est non loqvi, per accidens errare, labi, peccare, estne non errare, non labi, non peccare? Stultissimus omnium est, qvi dixerit. Sunt verò illa effecta per Accidens, qvorum causa per Accidens vera & realis sit, necessum est.

XIV. Cæterùm ut ordine progrediamur, nostram primò sententiam confirmabimus, & ab exceptionibus Novellorum Metaphysicorum vindicabimus, pòst argumenta & objectiones Adversariorum refutabimus. Fundamentum generale, qvo probatur, causam per Accidens esse veram Causam, istud est: *Causa*

sa per Accidens reverà seu realiter influit in esse effecti. Ergò est vera Causa. Alii sic loqvuntur: *Causa per accidens est principium, unde dependet effectus per accidens. E. est vera Causa.* Etenim reverà effectum per Accidens causatur, reverà conjungitur cum effectu suo, tanqvam causa, estq; respectus iste Causæ per accidens ad effectum per Accidens realis & verus. Certè qvæ per Accidens sive casu, sive fortunâ fiunt, reverà fiunt. E. eorum Causa vera est atqve realis. Ista verò per accidens est. Qvamobrem Causa per Accidens vera est Causa.

XV. Qvod ut magis magisqve intelligatur, singula excutienda sunt, in qvibus cardo rei vertitur. Primò omnium ex Aristotele notandus iste locus est, in qvo Causas per Accidens annumerat non æqvivocis, sed iis, qvæ dicuntur ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἕν, *ab uno ad unum.* Scilicet sicut in Causis per se aliæ dicuntur πρότερως καὶ ὕστερως: sic in illis est πρότερον καὶ ἐσχατώτερον: Sicut ibi se habent τὰ ἐφεξῆς πρὸς τὸ καθ' ἕκαστον: ita qvoqve in Causis per Accidens idem similiter notat. Qvin imò Causis illis accenset Causas per Accidens, qvæ vel

potentiâ tales sunt, vel actu, ἐνεργοῦντα αἴτια, ut clarissima verba monstrant & exempla adducta palam edocent. Conferantur loca *lib. 4. Metaphys. cap. 2. lib. 2. Phys. cap. 3.* in qvibus ex professo hanc rem pertractat. Exempla Aristotelis puram illam æqvivocationem Causæ per Accidens non admittunt, sed potiùs earum qvædam veram aliqvam causandi rationem in effecta conferunt, ut Polycletus aut homo in producendâ statuâ, is qvi ædificat in extruendâ domo. Neqve verò Aristoteles tantùm dicit, statuarium facere statuam, aut οἰκοδόμον ædificare, sed & Polycletum, & hominem, & eum, qvi ædificat.

XVI. Non sine Causa dubium hìc movet Svaretzius: Cur Aristoteles *actionem supposito formæ tribuat per accidens* (v. gr. homini fabricationem statuæ, aut calefactionem aqvæ) cùm aliàs actiones sint suppositorum, & respondet, *actionem per se esse à supposito, qvatenus affectum est tali formâ, non verò necessariò secundùm se, & ita calidum per se calefacit, non verò aqva.* Addit porrò, *tunc actionem per accidens tribui supposito, qvando vis agendi per Accidens illi inest, ut ars statuaria in homine.*

ne. Quod ergò causalitatem attinet, hæc per Accidens est, homo facit statuam.

XVII. Rectissimè hæc monet Svaretz. Sed nos exinde concludimus:

Omne suppositum propriè & reverà agit, non æqvivocè, adeoq; vera causa est.

Qvoddam suppositum est causa per Accidens.

E. Qvædam Causa per accidens propriè & reverà agit, non æqvivocè, adeoq; vera Causa est.

Nemo, ut persvasum mihi habeo prorsus, erit, qvi supposito veram actionem denegabit, præsertim ex iis, qvi principiis Aristotelis ita indulgent, ut actiones non partium, nec Accidentis esse statuant, sed totius Compositi. Qvamobrem freqventer inducunt illud *ex libro 1. de anima c. 4. text. 64. dicere animam irasci, simile est, ac si qvis eam diceret texere vel ædificare: melius enim fortassis est, non dicere animam misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem animâ.* Sic & hoc loco, non rectè dices, *statuariam artem facere statuam, sed hominem per artem.* Qvis negabit Polycletum propriè & reverà suum opus feciisse in statuis producendis: nimirum Polycletus ille est statua-

rius, de qvo etiam Galenus meminit, notante Simplicio, qvi statuam miro artificio struxit, habentem omnem commensurationem membrorum per se, & ad invicem, & propter hoc Polycletus regulam appellari voluit. Commodè monet *Fonseca supr. l. 5. Metaph. cap. 2. Polycletus cùm sit subjectum artis statuariæ, eamq; sustineat, aliqvid confert, atqve adeò plusqvàm homo, aut animal, aliavè superiora genera, qvæ per Polyclesum & alia singularia subjecta artis statuariæ efficiunt statuam.* At verò Polycletus per accidens artifex fuit, & per accidens tantæ fabricæ autor. Unde manifestum est consectarium, qvandam Causam per Accidens esse veram & propriè sic dictam Causam.

XVIII. Qvod ipsum qvàm maximè patet ex propositionibus accidentalibus, qvæ opponuntur propositionibus per se in qvarto modo. Propositiones per accidens sunt in doctrina demonstrationis, qvando dicitur, homo ædificat, vel canit, vel disputat, & similes, eò qvòd effectus per accidens prædicatur de Causa per Accidens. At qvis negabit, illas veras esse, adeò ut illis Subjectis vera

vera actio competat, iisque verè & propriè tribuatur, sintque adeò Autores illarum actionum. Huc facit, quod *Fonseca supr. lib. 5. Metaph. ad cap. 2.* eruditè docet: *Si quis quærat, cur homo dicatur Causa per Accidens statuæ, cùm non videatur accidere statuario, sed dici de eo per se.* (*Hæc enim propositio*, statuarius est homo, *videtur esse per se, cùm sit necessaria*) *Respondendum est*, scribit Fonseca d. l. *hominem non dici per se de statuario, neq; hanc esse necessariam simpliciter*, statuarius est homo, *quia connexio extremorum simpliciter est contingens, licet sit necessaria ex hypothesi, nempè positâ existentiâ subjecti, &c.*

XIX. Hæc, inqvam, adeò manifesta sunt, ut mirer sanè, quâ fronte Adversarii contravenire ausint. Scriptitant, suppositum, quatenus tale, non agere, *homo*, inquiunt, *quatenus homo, non ædificat; aqua, quatenus aqua, non calefacit.* At verò Philosophi constanter docent, actiones esse suppositorum, *Polycletum fabricasse statuam*, hominem ædificantem esse οἰκοδόμον, ædificatorem. Apage ineptias illas. Suppositum, quatenus tale, non agit. E. non agit. Homo, quatenus homo, non ædificat. E. homo non ædificat.

Aqua quatenus talis, non calefacit. E. non calefacit. Cur non ita ineptiunt: homo, quatenus homo, non sentit, non audit, non videt. E. homo non sentit, non audit, non videt. Homo quatenus homo non errat, non peccat. E. homo non errat, non peccat. Homo quà talis non est mortalis, non moritur. Ergò homo non est mortalis, non moritur. Corpus quatenus tale non vivit. E. non vivit. A negatione reduplicativarum ad negationem absolutarum propositionum non valet consequentia.

XX. Concedimus equidem, *suppositum Accidentibus suis instructum agere*, hominem arte informatum ædificare. Sed nequaquam inde sequitur, suppositum verè non agere, aut hominem verè non ædificare. Rectiùs Aristot. actionem refert tum ad hominem, tum ad artificem, quanquam aliter agant, homo per Accidens, artifex per se. *Statuæ causa*, inquit Aristotel. *ἄλλως aliter Polycletus, ἄλλως aliter statuarius, indeq; distinctas facit Causas simplices & conjunctas, distinctasq; format propositiones*: homo statuarius facit statuam, & homo facit statuam. Distinctissimæ loqvutiones sunt,

Musi-

Musicus canit, homo canit, & homo musicus canit. Item οἰκοδομικὸς ædificat, *homo ædificat, & homo* οἰκοδομικὸς *ædificat.* Omnes tamen veræ sunt, & veram suo subjecto verè attribuunt actionem. Sic aër in hyeme verè frigefacit: aër in æstate vehementer calefacit, ferrum ignitum efficaciter urit.

XXI. Falsissimum proinde est, quod Adversarius tam audacter pronunciat, *subjecto, cui vis agendi per naturam non inest, nec ex ipsius essentia fluit, simpliciter tribuitur effectus, idq; per accidens, & propterea non esse veram Causam, nec verè ac propriè agere.* Imò inverte sic: agit per accidens. E. verè ac propriè agit. E. est vera Causa. Ferrum candens per accidens urit, & fortiùs, quàm flamma. Tange candens ferrum, & cum damno experieris. Similiter & aquà fervida.

XXII. Jam urgemus exempla, quæ de internis causis, nempè formâ & materiâ accidentali, communiter produci solent. v. g. Albedo dicitur forma hominis albi per Accidens. At ea est vera causa formalis, quâ homo constituitur & denominatur albus. Respondent Adversarii, confundi duas essentias, quæ tamen

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77015199X/phys_0447
DFG

men sint distingvendæ. *Non alia*, inqviunt, *est essentia hominis, alia albi. Illa substantialis est, hæc accidentalis.* Falsum est. Non confundimus illas essentias, sed omninò distingvimus, ita verò, ut albedo non sit de essentiâ hominis, & ne quidem de illius essentiâ, qui est albus, sed *accidens*, quod quia habet rationem formæ, *accidentalem formam* vocamus. Paries dealbatus in se quidem habet albedinem, sed hæc tamen non est de essentia ejus. Sicut enim album (v.g. gypsum, ut rudioribus loqvar crassiùs) se habet ad parietem (vel ceruſſa ad virginem fucatam.) Ita & albedo. Certè mortalitas non est de essentiâ hominis, qui est mortalis, uti nec mors de ejus essentiâ, qui moritur. Modò distingvas denominatum à denominativo, quæ duo nequaquam confundenda sunt.

XXIII. Substantialem hominis essentiam utiq; agnoscimus, sed de accidentali subdubitamus, an nimirum liceat ita loqui. Cujus locutionis rationem exponent Adversarii. Absolutè sic loquimur, essentia alia est substantia, alia accidens.

cidens. Sed num respectivè dicendum sit, esse *essentiam alicui accidentalem*, de eo ex probatis Autoribus informari cupimus. Contradictorium est, esse de essentia, & esse accidentale respectu ejusdem.

XXIV. Erroneum autem prorsus est, quando pergunt, contenduntque, *albedinem non esse de essentiâ hominis, ac proinde nec veram ejus formam.* Argumentum in formâ tale est: *Quicquid non est de essentia hominis*, (aut parietis dealbati aut virginis pulcræ) *id non est vera ejus forma*: scilicet essentialis. Nihil obstat tamen, quò minùs verè sit forma accidentalis, ut pulcritudo virginis, quæ vera seu realis est forma ejus, quod informat accidentaliter, idque formosum vel deforme facit, ut in confesso est apud omnes sanos & peritos Philosophos. Largimur omninò, *hominem, quat. tal. non esse verè album, nec albedinem constituere hominis essentiam.* Sed qvid inde? Non sequitur, homo quatenus talis nō est verè albus (aut paries quatenus talis non est dealbatus, mulier quatenus talis non est pulcra.) Ergò albedo, pulcritudo, non est vera ejus forma (accidentalis) Anne ceruſſa

rufla eſt ſplendida forma? Annon vetulæ vitia corporis fuco occultant? quid dicemus de calce, gypſo, cretâ, nive, plumbo, ceruſsâ, ovo, floribus arborum, liliis, &c. fortè nec ea ſunt verè alba, quia eorum eſſentiam non conſtituit albedo. Adde, quòd ſibi non ſatis conſtent Adverſarii. *Albedo*, inquiunt, *eſt de eſſentiâ albi, adeoq; per ſe eſt vera ejus Cauſa.* Quomodo igitur erit accidentalis albi eſſentia, ut modò ſcripſerant. Nullum accidentale per ſe eſt, & de eſſentiâ ejus, reſpectu cujus eſt accidentale. Et contra quod per ſe eſt, ac de eſſentiâ alicujus, non eſt accidentale reſpectu ejusdem. Viden' contradictionem.

XXV. Sed ut rectiùs ea omnia intelligantur, ſcias, 1. quæſtionem eſſe non abſolutè de homine, ſed de eo, qui albedine imbutus ſive tinctus eſt. 2. albedinem referri *aliter ad hominem, aliter ad album*, non ſecus ac ſuprà ex Ariſtotele de actionibus monuimus, utpote fabricatio ſtatuæ *aliter tribuitur homini, aliter ſtatuario.* Idem & hîc obſerves, & res erit expedita ſatis.

XXVI. Fallunt, quando ſcriptitant, *aliud eſſe conſtituere Ens per Accidens* (in gene-

genere Causæ formalis) & *aliud*, *Causam* (efficientem seu inducentem) *illius esse per Accidens*. Verum id quidem est de diversis causarum generibus, de efficiente ac causis internis. Sed perperam hîc ac vitiosè applicatur. Non de externis productivis nunc quæritur causis, sed *de formali*, qualis est albedo respectu hominis, & albi.

XXVII. Dicis, *albedo, tanquam forma constituit album, quod est Ens per Accidens, minimè verò per Accidens, sed per se. Alia enim causa non est, quæ subjectum reddit & denominat album, quàm ipsa albedo.* Hæc helleboro opus habent. Dic, quæso, quomodo hæc simul stare possint. *Albedo tanquam forma per se constituit album, & tamen* (propter eandem albedinem) *est Ens per Accidens.* Alia enim, ut fateris, non est Causa, quæ subjectum reddat album. Ergonè albedo tanquam forma simul constituit & per se, & per Accidens album? Notanter loquor de albedine, *tanquam forma*, in eodem causandi genere, & respectu ejusdem.

XXVIII. Agamus pressiùs. Dicis, *album est Ens per Accidens.* Cur ergò, quæ est causa, propter quam tale est, certè pro-

propter albedinem. Ergò albedo per Accidens constituit album, aut si omninò album per se constituit, tanquam forma ejus, etiam Ens per se constituet & non per Accidens. Alia enim non est causa, quæ constituit album. Argumentum tuum ita habet: *Quæ Causa subjectum unicè reddit & denominat album, illa per se constituit album.* Hæc propositio simpliciter vera non est. Probetur. Dicimus nos, albedinem per Accidens denominare subjectum, sicque & per accidens constituere album, quatenus id Ens per Accidens est, uti confiteris ipse.

XXIX. De subjecto albedinis quæritur, quale est homo, cui certè accidit albedo, & cum eo facit Ens per Accidens. Immota igitur stat nostra sententia, quòd albedo sit forma hominis albi accidentalis, eumque per Accidens reddat album, sicq; est Causa per Accidens. Quæ cum ipsum verè album faciat, vera quoque Causa est, & proinde Causa per Accidens est vera Causa.

XXX. Similiter se res habet in Causâ *materiali accidentali*, quavis v.g. est æs statuæ æneæ, argentum poculi argentei, aurum monetæ aureæ, lignum mensæ ligneæ.

gneæ. Dicimus ibi esse *materiam per Accidens*, eamqve veram, adeoqve & veram Causam. Respondent Adversarii, negando, *argentum esse Causam poculi argentei per accidens*, asseruntqve, *id esse materiam & causam per se poculi argentei, qvia de essentia ejus est, constare ex argento. Nam contradictionem implicat, esse poculum argenteum, & non habere argentum.* Hæc illi. Qvæ si simpliciter vera sunt, seqvitur, poculum argenteum esse Ens per se, ac unum essentiale, adeoqve poculum per se ac essentialiter erit argenteum. Argumentor ita: *Qvicqvid est de essentia poculi argentei, illud cum poculo constituit Ens per se. Argentum est de essentia poculi argentei. Ergò argentum cum poculo constituit Ens per se, adeoq; poculum per se erit argenteum.* Conclusio est absurda. Cujus falsitatem agnoscunt ipsimet Adversarii, concedentes poculum argenteum esse *Ens per accidens*. Absurda igitur erit vel Major, vel Minor. Non *Major*, cujus veritas evidenter patet: nullum qvippe essentiale constituit Ens per accidens, sed per se. *Minor* itaqve absurda erit, si, ut præoccupavimus, simpliciter intelligantur omnia, qvæ hic proponuntur.

Qvocirca cum grano salis ea accipienda sunt.

XXXI. Observandum autem est 1. qvòd poculum argenteum sit *concretum accidentale*, & Unum per accidens, in qvo accidentaliter conjunguntur poculum & argenteum. 2. qvòd aliter referatur argentum *ad argenteum*, aliter *ad poculum*, non secus ac aurum aliter refertur ad deauratum, aliter ad argentum, qvod est deauratum, uti suprà in exemplo de homine albo edocuimus, & paulò pòst exponemus fusiùs. 3. Ut argenteum se habet ad poculum, ita qvoqve se habeat argentum ad poculum. Qvibus observatis, facilè constat, poculum verè ac realiter esse argenteum, ex argento verè ac realiter componi, licèt accidentaliter, adeoq; argentum ejus materiam & causam veram esse, non per se, sed per accidens. Res est manifesta.

Qvod per accidens constat ex argento, ejus materia & causa per accidens est argentum.

Atqvi poculum argenteum per accidens constat ex argento, cùm accidat esse argenteum, & accidentaliter tale sit.

E. po-

E. poculi argentei materia & causa per accidens est argentum.

XXXII. Certum omninò est, qvòd argenteum esse non sit de essentia poculi absolutè sumti, vel, ut tu ais, *in genere sic dicti*, qvamqvam, si rectiùs loqvi velimus, poculum non est genus ad argenteum, vel lapideum, vel stanneum. Aliàs prædicatio generis esset de specie, qvando dicitur, *stanneum est poculum, lapideum est poculum, argenteum est poculum &c.* qvod oppidò falsum; sed addo ego, qvod nec de essentia illius poculi sit, qvod est argenteum, qvemadmodum ebrietas non est de essentia hominis ebrii, aut error de essentia errantis, aut lapsus de essentia labentis, aut mors de essentia morientis, aut insania de essentia insanientis hominis. Hoc nimirum, ne nescias, illud est, qvod qværitur. An argentum sit de essentia poculi illius, qvod est argenteum, aurum de essentia argenti deaurati. Nego ego, & pernego.

XXXIII. Ais, *poculum in genere consideratum verè argenteum non esse.* Resp. nihil ad rem & insciè. Poculum non est genus respectu argentei, aurei, &c. Et si liceat ita loqvi, scias, non qværi nunc de

poculo in qvovis genere consíderato, sed de eo, qvod est in genere seu censu argenteorum.

XXXIV. Pergis: qvando asseritur, *poculum verè esse argenteum, id intelligendum esse de poculo in specie sic dicto, argenteo scilicet.* Rursus inscitè. Poculum argénteum non est species, utut accidentaliter constet ex specie argenti.

XXXV. Dicis, *implicare contradictionem, poculum esse argenteum, & non habere argentum.* Concedo. Sed anne propterea argentum est de essentia poculi? Dic qvæso, qvalis est propositio, *poculum est argenteum, aut argentum est deauratum.* Certè non est essentialis, non per se, sed accidentalis & per accidens: In accidentalibus qvoq; datur contradictio, qvando de eodem affirmantur & negantur.

XXXVI. Dicis, *poculum argenteum esse qvidem per accidens,* sed *inde non seqvi, qvòd id habeat causas tantùm per accidens.* Neqve ego id dico, aut scripsi unqvam. Concedo Causam efficientem per se, qvæ fecit poculum argenteum. Sic in exemplo, qvod adducis, *homo fidelis est Ens per Accidens.* Concedo, Causam efficientem per se esse Spiritum Sanctum. Concedo,

fidem

fidem esse Causam formalem hominis fidelis, sed qvalis sit illa forma, qværitur, an accidentalis vel essentialis; an per se vel per accidens. Nos dicimus, ut homo est fidelis, & per accidens fidem habet, ita qvoqve fides est ejus forma, id qvod ex superioribus de homine albo abundè constat. Eadem enim hoc loco (qvantum concernit formam per accidens) ratio est hominis albi, & hominis fidelis.

XXXVII. Videamus modò argumentum, qvo totum negotium expeditum reddere conaris. Ita tandem concludis:

Qvæ per se constituunt poculum argenteũ, item hominem album, illa etiam sunt causa eorum per se, non per Accidens.

Atqvi argentum poculum argenteum, & albedo hominẽ album, per se constituunt.

E. argentum poculi argentei & albedo hominis albi sunt causa per se & non per Accidens.

Nego Minorem propositionem, qvæ in genere *Causæ formalis & materialis* falsissima est, nec ea hactenus probata. Qvale formatum & qvale materiatum, talis qvoqve est Causa formalis & materialis. At verò poculum argenteum est materia-

riatum per Accidens. Itemqve homo albus est formatum per Accidens. E. & eorum Causa constituens (materialis & formalis) talis fit oportet, scil. per Accidens. non per se.

XXXVIII. Suprà dixi, qvæstionem esse de poculo, qvod est argenteum, & de homine, qvi est albus. Certè argentum non facit, ut poculum per se sit argenteum, nec albedo facit, ut homo per se sit albus. E. etiam eorum causæ internæ per se non sunt, sed per accidens.

XXXIX. Deinde dixi, *aliter referri argentum ad poculum, aliter ad argenteum, albedinem aliter ad hominem, aliter ad album.* Qvod ex propositionibus inde formatis satis superq; patet, v. g. Album habet albedinem, & homo habet albedinem; deauratum constat ex auro, & poculum constat ex auro, qvæ sanè distinctissima sunt.

XL. Sed & exempla probè excutias, & discrimines, qvando dicitur, *ovum album, & homo albus, gypsum album, calx alba, & paries albus*: item, *ignis calidus, & aqva calida.* In prioribus termini per se cohærent, non item in posterioribus. Albedo ferè per se est in ovo (gallinæ,) gy-

gypso, calce, sicut calor per se in igne, non item in homine, aut pariete, sicut calor per se non est in aqva, sed per accidens.

XLI. Qværis, *ad qvam Causam per se hæc ipsa causata reduci debeant.* Id verò facilè constat, modò diversa causarum genera vel effecta earundem exactè discernantur. Notavimus suprà ex Aristot. *statuarium per se facere statuam, hominem verò per accidens.* Calor per se calefacit, sed aqva calida per accidens. Similiter calor calidum facit per se, sed aqvam reddit calidam per accidens. Sic & hoc loco. Albedo album facit per se, sed hominem per accidens. In genere efficientis caussa per se vel est natura dealbans, vel artifex aut homo dealbator, qvi parietem v.g. gypso aut calce dealbat, aut mulier faciem oblinit cerussâ: Aurifaber per se efficit poculum argenteum vel deauratum.

XLII. Sed & imperitè ac intempestivè id qværitur in præsenti, cùm directè agamus *de internis causis accidentalibus*, qvatenus tales sunt, in qvibus frustrà qværitur alia materia, & alia forma proxima, qvàm qvæ est accidentalis, & Ens per

Accidens facit. Nec nos putamus, aliam esse materiam proximam poculi argentei, qvàm ipsum argentum, aut aliam formam albi proximam, qvàm ipsam albedinem. Qvid ergò desideras amplius? illud tantùm addo, eam materiam & formam esse accidentalem, & componere Ens per Accidens in poculo argenteo & homine albo.

XLII. Efficientem causam per se hîc omninò esse, ultrò largimur, & modò eam designavimus. Non omninò displicet, qvod *Svaretzius* eâ de re disputat *disp.16. Metaph. sect.1. n.10. p.318. Æqvivocatio*, inqvit, *est in termino per se, dum ad effectum, ut est effectus, velut est unum compositum, applicatur: ipsum enim accidentale compositum licèt in ratione Entis non sit per unum, sed per accidens in ratione effectûs est per se effectus formæ accidentalis: sunt enim hæ diversæ habitudines, & rationes formales, & ideò nil vetat illud compositum, qvod non est per se unum: sed per accidens, qvatenus tale est, esse effectum per se accidentalis formæ: nam illud compositum, qvalecung; sit, per se & essentialiter reqvirit illam formam, qvat. tale compositum est, unde ab illa per se causatur in suo genere.* Non omninò, inqvam,

id

id displicet, modò forma distinctè consideretur, prout forma est, & prout induit naturam efficientis causæ, sicque diversimodè referatur ad suos effectus. Quod dico, evidenter patet in aqua fervida, ferro ignito, aëre frigido, &c. Distingvas quoque hîc inter totum compositum sive concretum & denominativum, & inter id, quod informatur, sive afficitur, componitur & denominatur, nempè denominatum. Quæ si rectiùs distingvantur, & ad ea diversimodè referatur forma accidentalis, (eadem ratio est & materiæ accidentalis) facilè patebit veritas. Tota enim difficultas, si quæ videtur esse in præsenti causa, oritur ex confusione denominativi & denominati, concreti & subjecti, in quo fit concretio, & cum quo fit compositio formæ accidentalis. Ut suprà thesi 22. prænonuimus.

XLIV. Adde ex abundanti, quod Svaretzius d. l. disputet, effectum formæ accidentalis esse, subjectum afficere aliquo accidente, vel subjectum affectum accidentali formâ, v. gr. effectum albedinis esse albere, ut sic dicam, seu esse album, quod idem est. Quòd alii quid distin-

ctum esse, à toto composito ex subjecto & albedine, statuant, cum dicat tantùm effectum relictum ab albedine in subjecto, sicq; id esse formalem effectum formæ accidentalis, & non totum compositum. Quam opinionem non improbare potest Svaretzio, respondet saltem, albedinem reddere subjectum album, & cum illo constituere tale compositum accidentale, idem omninò esse, solumq; in modo significandi differre, ut constat ex ipsis terminis, & ex superiùs dictis de formâ substantiali. Solum est advertendum, accidentale compositum, licet in genere causæ formalis sit effectus solius formæ accidentalis, absolutè tamen non consurgere ex solâ formâ, sed simul & maximè ex ipso subjecto. Quo fit, ut ille effectus significari possit vel præcisè, ut causatur à formâ, & sic dicimus, effectum albedinis esse reddere album subjectum, vel absolutè, ut ex tali subjecto & formâ consurgit hoc album: & hoc modo dicitur, compositum accidentale esse effectum formæ accidentalis.

XLV. Adverte insimul, quod Svaretzius ibid. reduplicativè loquatur de composito accidentali, quat. tale compositum

tum est. Quo sensu libenter largimur, albedinem per se respicere album, ita ut juxta eundem *Svaretz. sect. 7. nu. 24.* albedo sit de essentiâ albi, ut album est, cùm ea formaliter constituat album, sicq; inseparabilis ab albo, quin destruatur album. Sed hæc ex mente Svaretzii ex abundanti, ut dixi; pro uberiore explicatione præsentis materiæ addere placuit. Omninò rectè disputat *Svaretz ibidem n. 14.* quod forma accidentalis componat unum tantùm per accidens, nihilominus per veram ac physicam unionem illud componat, sicq; per causalitatem formalem propriam ac tali composito proportionatam.

XLVI. Præterea huc faciunt & ea, quæ ex parte effectus contingere dicuntur, & sic accidentaliter fiunt, ut si quis ligna findens sublatâ securi stantem à tergo, quem ibi stare nescit, percutiat, ipsique vulnus infligat; is equidem causa per accidens est illius vulneris, cum id fecerit præter omnem voluntatem & intentionem, vera tamen causa est, & autor illius vulneris. Reverà enim & Physico motu eum percussit. Sic reverà fiunt, quæ fortunâ & casu fieri dicuntur, ut ho-

homicidia casualia, de quibus videantur statuta divina. *Num. 35. Deut. 19. & Jos. 20.* Quocirca & eorum vera causa sit oportet, per accidens licet. Sic fissurus ligna, si fortuitò lædat pedem suum, per accidens id facit, revera tamen, adeoq; vera ejus læsionis seu vulneris causa est. Quin imò & iste modus causandi contra Adversarios est, quo effectus appellatur per accidens respectu concursus aliquarum causarum, quamvis supposito illo concursu talis effectus per se emanet, à tali causâ, ut si quis lapis è tecto decidens prætereuntem lædat, & vulnus capiti illic incedentis infligat, illud planè accidentarium est, & ejus percussionis causa per Accidens lapis vel tegula est: vera tamen causa est, & non æquivocè sic dicta. Similiter se res habet in exemplo, quando quis columnam movet & unà lapidem super impositum, ut facto motu decidat.

XLVII. Neq; verò ejusmodi homicidæ, aut fissores lignorum & lapides vulnerantes per se causæ sunt mortis & vulnerum, neq; tantùm morales causæ sunt aut respectu moralis influxus duntaxat dicuntur Causæ per Accidens, ut Adver-

versarii autumant, sed realiter ac Physico motu producunt effectum, quem quia non intendunt, nec eò feruntur suâ propriâ vi, per accidens fiunt causæ eorum.

XLVIII. Par tamen illorum omnium ratio non est, ut falsò supponunt, qui contrà disputant, multò minùs causam eorum vel quicquam juvat, quòd *lapis non intendit, nec intendere potest illum effectum.* Nequaquam inde sequitur, lapidem non esse veram causam vulneris, nisi fortè tollenda prorsus sit omnis purè Physica causa, quæ non intendit effectū. Et quid fiet de influxu lapidis Physico, quo fit causa per se? Intenditne sic effectum? Sed manum de tabulâ. Alibi ea omnia excutienda erunt fusiùs. Hæc hac vice pro thesi nostrâ defendendâ & vindicandâ sufficiant, ex quibus satis superq; patet, errare eos non parum, qui sine discrimine pronunciant, *Causam per Accidens esse æquivocè causam, quasi is, qui dicit aliquid esse Causam per Accidens, eo ipso neget esse causam.* Hoc, dico, falsissimum est. Contrarium seu contradictorium satis superque probatum dedimus atq; expeditum fecimus hactenus, nempè

pè *quandam Causam per Accidens esse venam causam.* Antithesin Adversariorum, eorumque argumenta in futurâ σὺν θεῷ dissertatione examinabimus & confutabimus.

XLIX. Quæ cum ita se habeant, facilè exinde constat, *τὸ per accidens in ratione causæ non esse alienationem*, seu terminum alienantem. Alienatio enim est perpetua & universalis respectu illius termini, quem alienat: quippe quæ fit per vocem seu dictionem repugnantem, adeoque vi suâ semper tollit rationem sive significationem propriam termini, cui apponitur, h. e. eum semper ac universaliter distrahit & transfert è propria in impropriam significationem. Patet idipsum in omnibus exemplis in initio ab adversa parte productis. *Pictum, marmoreum esse, vel mortuum, semper alienat hominem, adeò ut universaliter inde negetur vera hominis ratio & significatio: Scil. nullus homo pictus vel marmoreus, est verus homo, nullus homo mortuus est verus homo. Similiter in reliquis: Nulla virgo defloratæ est vera virgo: Nulla serra cerea est vera serra, &c.* Quod in præsenti negotio de Causa per Accidens prorsus non obti-

net,

net, uti demonstratum est hactenus. Proinde alienatio hîc locum non habet.

L. In specie de Causa peccati alius dicendi, disputandique locus erit. Sufficit hic notasse locum Platonis, qui Adversariis meritò pudorem incutiat. Sic ille graviter monet, & religiosè scribit *Dialog. 2. de Republ. sive de Justo: Quod nihil mali facit, nullius mali est causa. Non igitur omnium causa Bonum est, sed eorum, quæ benè se habent, Causa: eorum verò, quæ malè, nequaquam. Sic est omninò. Non igitur Deus, cum bonus sit, omnium causa est, ut multi dicunt; sed paucorum quidem hominibus in causa est, multorum verò extra causam; & bonorum quidem solus Deus causa est dicendus. Malorum autem quamlibet aliam præter Deum quærere causam decet.* Et mox *subdit. Omni contentione pugnandum est, ne quis in civitate, quæ benè regi debet, vel dicat, vel audiat, sive senex, sive juvenis, sive in poëmate, sive alio sermone, Deum esse alicui causam malorum, quia hoc neq; sanctè ita dici potest, neq; utile est civitati, neque secum consentit in explicatione.* Hæc, inquam, Adversariis, qui Christiani videri volunt, pudorem, terrorem q; incutiant, ne Ethnicis (hoc quidem in

passu

passu sive modo loquendi) deteriores porrò deprehendantur. Idem inculcat Averroës Interpr. Platonis tract. 1. de Republ. *Dicamus, inter absurdas fabulas hanc quoq; esse, quam passim vulgus agitat, boni pariter atq; mali Deum causam esse, cum manifestum sit, puram simplicemq; Bonitatem nihil ullo tempore mali facere, atq; ideò illius causam non esse. Malum itaq; ad aliud principium debet referri, velut ad Asmodi, Cacodæmonum principem, qui destructor atq; corruptor omnis boni est.*

SOLI DEO GLORIA.

DISPU-

DISPUTATIO APOLOGETICA SECUNDA, De CAUSA PER ACCIDENS,

ἀναστατικὴ,

In qua

Præcipua Adversariorum argumenta examinantur & confutantur.

PROOEMIUM.

COntroversiam de Causâ per Accidens, qvæ hodiè vehementer ac contentiosè agitari cœpit, superioribus annis in peculiari Disputatione κατασκαστικῶς proposuimus, sicqve in illa thesin seu sententiam nostram, qvâ asserimus, *causam per Accidens non æqvivocè sic dici, nec particulam* per accidens h. l. *esse alienationem s. alienantem terminum*, ut Adversarii volunt, sed eam analogicè sic dici, & veram causam esse, ex genuinis principiis, solidisqve fundamentis demonstravimus: Eandem causam nunc repetere placet, & ἀνασκαστικῶς pertractare, ita ut præcipua Adversariorum argumenta, qvibus hac in causâ uti solent, ordine examinentur, atqve eâ, qvâ par est, industriâ, sufficienter confutentur.

§. I. Pri-

§. I.

PRimum Adversariorum 'argumentum, qvo probare conantur, causam per Accidens non esse veram causam, ex definitione illâ accersunt, qvâ describi non rarò solet, qvod sit *principium per se influens in esse causati.* Unde argumentum formant, opponuntq; ejusmodi:

Omnis causa vera per se agit s. per se influit in esse effecti.

Causa per accidens per se non influit in esse causati.

E. Causa per accidens non est vera causa.

Majorem probant ex definitione causæ, qvam Svaretzius ita proponit: *Causa est principium per se influens esse in aliud.* Addit ergò particulam per se, de qva ipse pronunciat, qvod & privationem & omnem causam per accidens excludat, qvæ per se non conferunt, aut influunt esse in aliud. Unde concludunt Adversarii, ad rationem causæ reqviri, ut per se influat in effectum. *Svarezius.*

§. II. Resp. Negando Majorem, nec authoritas Svaretzii veritati rei vel qvicqvam præjudicare debet. Sufficit ad veram causam, ut verè ac realiter influat in esse causati. Hoc videlicet est cau-

sare. Unde & illud dicitur causa, qvod *est principium influendi in aliud, ut sit, sive fiat.* Certè aliud est causare, qvod causæ proprium est, & aliud per se causare: aliud est agere aut efficere aliqvid; & aliqvid per se agere, per se efficere, non secus, ac longè differunt fieri, & per se fieri. Multa utiqve verè ac realiter fiunt, qvæ non per se fiunt, sed casu seu fortuitò aut fortunâ, *v. gr. vulnerari, occidi, cespitare, labi, &c.* Sicuti verò ea verè ac propriè fiunt, ita qvoqve sunt veri & propriè dicti effectus. Ergò & eorum causa est realis & vera causa, qvæ per accidens produxit, seu effecit ejusmodi effecta. Falsissimum proinde est, qvòd omnis vera causa per se agat, seu per se influat in esse effecti. Falsa itidem est prima propositio in argumento Adversariorum oppositа.

§. III. Definitio itaqve causæ, qvam tradit Svaretzius, non est generalis, non adæqvata, non universalis, in tota causæ latitudine, sicqve nec simpliciter aut omnimodè vera, sed intelligenda est *de potissimo analogato*, indeqve sic describitur, cùm ratio causæ, ejusqve vis magis pateat in causis per se. Certè Aristotel. cau-

Analogita Causæ definitio.

causas per accidens non æqvivocis, sed analogis accensetur, ut alibi demonstravimus *ex lib.4. Metaphys. cap.2. itemq; lib.2. Phys. cap.3. &c.* Hinc intelligendus & exponendus est Svaretzius, ut videlicet & ipse loqvatur, & causam definiat *ad modum Analogorum*, qvorum natura est, ut secundùm prius, & potissimum analogatum describantur, cùm in eo perfecta eorum natura sit, sicqve magis innotescat. Qvi modus definiendi analoga non æqvivocè sic dicitur, sed secundùm posterius, & in ordine ad prius. Ita potentia activa ex Aristotele definiri solet, *principium transmutandi aliud, in qvantum est aliud*, licèt ea non semper agat cum transmutatione, ut notum est ex actionibus spiritualibus, intellectûs, voluntatis. *Confer. lib.4. Metaph. cap.2. lib.9. Metaphys. cap.1.* Sic in Politicis civis definitur, *qvi habet jus suffragii*, licèt hoc in omnibus locum non habeat. Certum verò est, qvod causa, ut sic, præscindat à modis illis determinantibus: qvales sunt per se & per accidens. Directè igitur ad causam, ut sic, non pertinet limitatio illa per se, cùm hæc sit alterutrius membri dividentis propria, & differen-

tia aliqva contrahens causam ad certum modum causandi, eumqve distingvens ab iis, qvæ per accidens causant. Qvibus observatis corruit tota vis argumenti primi, qvod Adversarii opposuerant modò, qvodq; hactenus ventilandum erat.

Fonseca de causa. §. IV. Qvod ipsum itidem observandum est in descriptione Fonsecæ, qvi *super lib. II. Metaphys. cap. 7. qvæst. 7. sect. 3.* docet: *Caussam esse id, à qvo aliqvid per se pendet.* Qvamqvam enim ille opinetur, scribatqve, particulam *per se* additam esse, ut rejiciantur causæ per accidens; id tamen declarat de ejusmodi causis per accidens, qvales in peripato sunt Privatio, qvæ non nisi ratione materiæ, cui accidit, dici possit rerum naturalium principium, nec non de causis, *sine qvibus non*, ut sint locus & tempus, qvæ extra controversiam reverà non sunt causæ, sed aliâ ratione ad rem efficiendam necessariæ. Qvin immò disertè ait, & palàm fatetur, definitionem illam causæ esse *analogicam*, etiam ratione ultimi verbi (*pendet.*) Neqve enim pergit, *res eodem modo pendent à suis causis, sed discrepantibus qvantum, ac primò diversis, & à qvi-*

qvibus una & eadem omninò ratio dependentiæ abſtrahi non poteſt. Item: *Nomen cauſæ*, inqvit, *eſt Analogum, ut Philoſophis placet, nec unâ omninò ratione dividi poteſt.* Hæc de analogo æqvivocis oppoſito intelligimus, ſicqve omninò accipienda ſunt. Notes ſaltem, qvod aſſerat Fonſeca, non *omninò eandem rationem dependendi* abstrahi poſſe à cauſis, non unam *omninò rationem definiendi* hìc eſſe. Qvæ ſi de univocâ & *omnimodâ communi* ratione ſecundùm expreſſam literam intelligantur, res expedita eſt. Interim una communis cauſarum ratio datur analoga. Analogiam videl. hîc agnoſcamus oportet, non nudæ proportionis tantùm, qvæ improprietatem importat, non extrinſecæ denominationis, ſed intrinſecæ, qvâ verè ac realiter omnes cauſæ, ſivè per accidens ſint, ſeu per ſe, participant de una communi ratione, qvæ eſt realis influxus in eſſe cauſati.

§. V. Alterum argumentum deſumunt ex Jeſuita Toleto, qvi talem Cauſæ per accidens deſcriptionem proponit: *Cauſa per Accidens eſt id, qvod conjunctum eſt cum causâ per ſe, licèt ſecundùm ſe non operetur*, ut loqvitur Toletus *Toletus.*

in Comment. Phys. super lib. 2. Phys. text. 33. Qvam conjunctionem sic hodiè interpretantur nonnulli, ut in eâ rationem causæ per accidens sitam esse dicant, id qvod in iis, qvæ ex parte effectus dicuntur tales, disertis verbis, pronunciant. Verba eorum hæc sunt: *ratio causæ per accidens est id, cum cujus effectu per se aliqvid accidentaliter conjungitur.* Unde freqventer in ore habent illud generale effatum: *Cum cujus effectu per se accidentaliter conjungitur peccatum, illud est causa peccati per accidens.* Hoc scilicet illud est principium, unde lis tota cœpit, & qvo subverso, corruet rursus tota.

§. VI. Verùm respondemus nos ac simpliciter negamus, rationem causæ per accidens in eo consistere, ut sufficiat *conjunctio vel effectorum, vel causarum*, cum sæpiùs cum effectis propriis, imò etiam cum causis conjungantur, qvæ tamen exinde nomen causæ per accidens neqvaqvam sortiuntur, nisi fortè & tempus & locus sint causæ omnium rerum naturalium, eò qvòd conjungantur cum veris effectis, earumqve causis. Falsissimum illud principium est, qvod freqventer opponunt, & in acie, certamini-

nis

nis collocant, *cum cujus effectu per se accidentaliter conjungitur peccatum, illud est causa peccati per accidens.* Falsissimum, inquam, hoc est. Etenim cum parentum effectu per se, v. g. cum liberis accidentaliter conjunguntur peccata & scelera, quæ à liberis perpetrantur. Ergonè illorum scelerum omnium causa per accidens erunt parentes? Non dixerim sanè. Cum effectu Solis per se, v. g. cum lumine diei conjunguntur accidentaliter omnia opera ea, quæ de die fiunt. Ergonè illorum operum omnium causa per accidens Sol erit? Non puto. Similiter cum effectu Lunæ conjunguntur, quæ in Lunæ lumine fiunt, nec tamen eorum causa est Luna. Sic cum motu avium aër, cum actionibus piscium aqua, conjungitur. Ergonè aër & aqua sunt causa eorum per accidens, quæ ab avibus aut piscibus fiunt: Cum tabulâ aut papyro conjungitur scriptio, quæ fit in tabulâ aut papyro. Ergonè tabula vel papyrus erunt causæ scriptionis? Nequaquam hoc sequitur. Sola igitur conjunctio effectorum non sufficit ad constituendam causam per accidens, cum ea varia & multiplex esse possit sine con-

cursu causárum, utpote *localis* in eodem loco, *temporalis* in eodem tempore, *subjectiva* in eodem subjecto, contenti in continente, &c. Plura requiruntur ad causam per accidens, & primò quidem influxus in effectum accidentalem, qui ubi non est, ibi causa per accidens propriè non est, utut nonnunquam concomitantia seu conjunctio aliqua effectorum deprehendatur.

§. VII. Cæterum quinque requiri solent, ut aliquid dicatur causa per accidens, *1. ut efficiat aliquam rem.* Si enim nihil efficeret, aut planè non influeret ad aliquid producendum, tunc planè non esset causa. Supponendum ergò est, esse causam in actu. 2. *Ut illi causanti aliud accidentaliter attribuatur.* v. gr. album per accidens dulcorare dicitur, ubi cum ipso accidentaliter conjuncta est dulcedo, à quâ iste effectus est, & ita propter dulcedinem albo dulce tribuitur. Similiter ambulans per accidens offendit ad lapidem, & frangit pedem; ubi lapsus accidit ambulanti, & accidentaliter est in ambulatione. 3. *Adsit aliquod aliud*, quod ad causam agentem non semper sequitur, nec universaliter. Sic

Requisita causæ per accidens.

qvia

quia album per accidens dulcorat, ideò non omne album dulcorat; item, ambulans non semper cespitat, cum hoc per accidens fiat. 4. *Effectus fiat ob aliud accidentaliter interveniens*, adeoque 5. *non directè dependeat ab eo*, quod dicatur causa per accidens, sed potiùs fit præter ejus vim & intentionem. Sic ubi accidit effectus non intentus, subitaneus aut causalis, v. gr. inventio thesauri, ibi inventor aliud agendo fit causa per accidens.

§. VIII. Porrò tertium movent dubium de causis removentibus obstacula, quibus remotis spontè & subitò sequitur effectus, de quo causæ genere agit *Aristoteles lib. 8. Phys. cap. 4. text. 32. qui id, quod sustinet & prohibet, movet, ille est ut movens, & est ut non, v. g. qui columnam divulsit, aut qui lapidem removit à vase in aqua: Secundùm accidens enim movet, sicut reflexa sphæra non à pariete mota est, sed à projiciente.* Ibi causa per accidens dicitur, qui submovet impedimentum, vera tamen causa non est. Unde colligitur, causam per accidens non esse veram causam.

§. IX. Resp. Particulare hoc esse exemplum, adeoque ex eo de omni causâ per

per accidens judicari nec potest nec debet. Quanquam verò hodiè discrepant interpretes de mente Aristotelis, in d. l. negari tamen non potest, Aristotelem dicere eum, qui movet prohibens seu impedimentum, *& movere & non movere*. Disceptantur ergò, quomodo verba illa intelligenda sint. Simplicius celeberrimus Aristotelis Interpres ea verba sic exponit: *Cùm*, inquit, *multis in locis diceret Aristoteles id, quod habitum accepit, agere, & addens, nisi quod prohibeat, nunc dicit, quod etiam, qui resistit, & prohibet, aufert, est motor aliquo modo* (: NB. motor est. Ergò est autor motûs. Ergò & causa motûs :) *& aliquô pactô minimè. Nam per se non movet, quia aliud præcedens agit, sed per accidens movet.* Ubi rursus notes, quod Aristoteles ibi inquirat in causam *primam s. primum movens*, à quo primariò aliquid moveatur, & sic negat, eum, qui removet impedimentum, esse causam, *scilicet primam seu primariam seu præcedentem*, ut Simplicius loquitur; Interim nõ simpliciter ille denegat causalitatem seu influxum, sed potiùs disertè ait, *eum aliquo modo movere*, hoc est, motum causare, *s.* suo motu tangere & ciere aliud,

Simplicius.

aliud, ut moveatur, id quod veræ causæ proprium est. Ideò Simplicius expressè ait, *eum per accidens movere.* Pergit autem ita interpretando Aristotelem: *Qui columnam dimovit, eam quidem per se movet, sed per accidens movetur trabs super columnam, quâ prohibetur deorsum ferri, quod ei competit secundum naturam. Similiter quoq; & qui suprà utre lapidem positum removet inflato, quo lapide detinetur, & non supernatat aqua, primò lapidem removet, sed per accidens & ipsum utrem, qui ablato lapide detinente ipsum sursum emergit. Adhæc magis dissimilitudinem motus factum ob ea, quæ movent per se, & ea, quæ auferunt prohibentia moveri, demonstrabit in sphærâ, pilaq;, quæ à pariete pulsa revertitur. Ut enim hanc primò movet, qui principiò eam pellit, & per accidens paries, à quo repellitur. Sic etiam naturalia corpora primò à mutantibus ipsa, & facientibus talia moventur, & per accidens ab auferentibus impedimenta ad motum.* Hæc Simplicius. Ex quibus Simplicii verbis clarè patet, quod is, qui removet obstacula, s. tollit prohibens vel impediens motum alicujus, nonnunquam reverà moveat, & ita suô motu reverà influat in effectum illius

us moti corporis, quod priùs impediebatur, ne posset moveri. Scilicet disertè ait Aristoteles in citatis verbis: *Contingit, ut is & moveat & non moveat.* Simplicius verò addit, eum per se quidem non movere, tamen *per accidens movere.* Dum enim columnam submovet, consequenter quoque illo ipsô actu & motu trabem suppositam pellit, movetque, ut unà decidat. Unde trabs s. lapis non directè statim decidit, sed obliquè primùm aut transversim movetur pro primo impulsu moventis. Similiter se res habet in aliis, ut patet in pilâ à pariete, vel terrâ, aliisque repercussa; ubi sanè repellens & repercutiens omninò agit in id (*v. gr. in pilam*) quod repellit inæqualiter, magis minusvè, prout motus projicientis est fortior vel langvidior, itemque prout repellens est durum, planum, leve, asperum, rarum, lubricum, &c. Sic aliter in terrâ, aliter in gramine, aliter in lapidibus, &c. repellitur. Igitur vera causa est.

Conimbricenses. §. X. Connimbricenses in Comment. *super lib. 8. phys. ad cap. 4.* dilucidè satis textum Aristotelis ita vertunt: *qui id, quod subest, prohibetq; dimovit, partim mo-*

movet, partim non movet, ut qui columnam subtraxit, aut ab utre, qui est in aquâ, lapidem dimovit : Ex accidente enim movet, quemadmodum & pila reflexa non à pariete mota est, sed ab eô, qui projecit. Exponunt verò illa verba Aristot. ita: *Docet eum, qui removet id, quod impediebat, ne gravia aut levia in suum locum tenderent, partim non movere illa, partim movere. Non movere quidem per se, movere autem ex accidente, ut qui refellit columnam, quâ tectum fulciebatur, vel pondus, quo uter aëre plenus inter aquam detinebatur, per accidens iis corporibus motum afferre dicitur, quo etiam modo pila per accidens movetur à pariete, à quo reflectitur, per se verò à projectore.*

§. XI. Quæ cum & per se, & consensu omnium Interpretum certissima sint, ac verissima, tantum abest, ut illis exemplis probari possit, *causam per accidens non esse veram causam*, ut potiùs exindè non obscurè pateat, quandam causam per accidens, nimirum eam, quæ impedimenta submovet, aut fundamenta diruit & fulcra aufert, quibus innituntur aliqua, aut pondera solvit, quibus supprimebantur levia, esse veram causam, quæ

qvæ ſuo qvoqve motu tangat, pellatqve illa, qvæ ad remotionem impedimentorum, fundamentorum, & fulcrorum aut ponderum moventur, ruuntqve.

Fortuna & Caſus.

§. XII. Deniqve præſidium cauſæ ſuæ qværunt in fortunâ & caſu, vel inde ſcilicet conſtare putant, cauſas per accidens non eſſe veras cauſas, cùm *fortuna & caſus* tales non ſint, qvi tamen omnium ore ferantur atq; dicantur cauſæ per accidens. Sic illi argumentantur:

Qvod eſt cauſa per accidens à parte effectus, illud non eſt vera cauſa.

Caſus & fortuna ſunt cauſa per accidens à parte effectus.

E. Caſus & fortuna non ſunt veræ cauſæ, & per conſeqvens, cauſa per accidens non eſt vera cauſa.

§. XIII. Magna inde orta eſt contentio de fortunâ & caſu, qvales ſint cauſæ, unde & qvomodo ſic dicantur. Dubium nullum eſt, qvin in ἀδιαπτώτῳ & ex mente Philoſophorum accenſeantur cauſis per accidens. *Perſpicuum eſt*, ſcribit Ariſtoteles lib. 2. Phyſ. cap. 5. text. 51. *qvod ambo, nimirum fortuna & caſus, eorum, qvæ ἕνεκά τοῦ optabilia ſunt, cauſæ ſint, & qvòd eorum cauſæ ex accidente ſint.*

Item

Item, text. 65. *ad modos causarum quod attinet, in illis eorum utrumq; est. Unde motionis principium est, quandoquidem semper vel eorum, quæ naturâ, vel eorum, quæ ratione fiunt, causæ sunt. Est harum numerus definitus non est. Quoniam autem casus & fortuna causæ eorum sunt, quorum aut mens causa fuerit aut natura, idq; ex accidente, posteriora illis* (quæ per se sunt causæ) *erunt. Nihil enim secundum accidens prius est illis, quæ per se sunt.* Hæc Aristoteles. Inde lis & contentio dependet. Connimbricenses in Comment. super libr. 6. Phys. Aristot. communem ex Simplicio & Themistio referunt Interpretum sententiam, & ad text. 50. suprà citatum ita commentantur: *Declarat quænam ea sint, in quibus fortuna & casus interveniant, docetq;*, ut Simplicius & Themistius interpretantur, *illa, quæ gratiâ alicujus s. mente s. naturâ fiunt, si sint causæ per accidens, hoc est, cùm ex his sequitur aliquid diversum ab eo, cujus gratiâ fiebat. Tunc enim id, quod sequitur, fortuitum dicitur. Quod ut planum sit, præ oculis habendum est, tàm causarum, quàm effectorum quædam esse per se, quædam per accidens. Ac quemadmodum, quæ per se di-* Connimbricenses.

cuntur, certam definitamq; rationem habent; ita quæ per accidens, ancipitem & indeterminatam obtinere v. g. Fossor, qui per se est causa fossionis, præfinitum habet ordinem, modumq; ad ejusmodi effectum, ut ex accidenti multa tam ipsi, quàm ejus effectui, jungi queant, siquidem fossor potest esse Musicus, albus, senex aut juvenis: item potest fossioni adjungi inventio viperæ, thesauri & carbonum. Ea igitur eveniunt casu & fortuito, quæ prædicto modo effectui, in quem causa per se intendit, ex accidenti junguntur, ut thesauri inventio fossioni terræ. Hæc Connimbricenses. Docent ergò, quod casus & fortuna dicantur causæ per accidens ex conditione effectorum, quomodo in iis, quæ alicujus gratiâ fiunt, fortuitò quædam accidunt, & effectis adjunguntur alia, quæ non intendebantur, & hanc putant esse Simplicii sententiam.

Simplicius.

§. XIV. Simplicius verò expressius ita loquitur: *ut effectum aliud per se est, aliud per accidens, sic & causa.* Et porrò *differt Fortuna ab aliis causis per accidens, quia unaquæq; illarum causa per accidens dicitur, quia accidit causæ per se, ceu album dicitur causa per accidens domus, sed in ipsâ fortunâ*

nâ una & eadem actio alterius est causa per se; alterius verò per accidens. Nam fodere, est causa per se plantandi, sed inveniendi thesaurum est causa per accidens. Ideò ibi hæc est differentia in causis. Nam alia per se, alia verò per accidens. Sed hic eadem causa est, sed fines diversi, quorum alius per se sequitur, alius verò per accidens. Nisi forsitan & sic eadem causa videatur esse, ut fodere, tamen plantandi per se est, ut inveniendi thesaurum per accidens. Clarè ergò distingvit Simplicius, antiquissimus Interpres, fortunam & causam ab aliis causis per accidens, in quibus duæ causæ concurrunt, una per se, altera per accidens. Hic verò sit una causa, sed effecta diversa & fines diversi.

§. XV. Jacobus Schegkius Philosophus non ignobilis in Comment. super lib. 2. Phys. hanc rem paulò altiùs persequitur. *Accedamus*, inquit, *ad Aristotelica, & fortunam in causis naturalibus, quam rationem habeat, considerabimus. Orditur autem in vestigandâ causa fortuita ab effectorum notissimis differentiis, quarum tripartita ratio. Etenim quædam eodem evenire semper modo ac fieri cernuntur.* *Schegkius*

Quædam plerumq; & majori ex parte, ut naturales effectus, alia verò rarò & infrequenter. Et hæc dicuntur fortuitò fieri: Fortunam & casum pertinere ad eventus quosdam raros & infrequentes, perspicuum est. Præterea ait Schegkius, *quæ fiunt, ut certum & constitutum quoddam fiat, & gratiâ alicujus moventur, aut nullâ finis destinatione temerè nec gratiâ alicujus fiunt.* Rursus pergit Schegkius, *effectorum alia differentia est, atq; eadem, quæ efficientium. Nam voluntario quodam delectu nonnulla fiunt, & ad nostrum arbitrium efficiuntur; alia per naturam, quæ sine deliberatione ad præscriptos sibi fines non impedita tendunt. Ambo igitur hæc propter certum finem moliuntur aliquid. Ergò rari & infrequentes quoq; iis constabunt causis.* Quando autem Aristoteles hic utitur verbis: τὰ μὲν κατὰ προαίρεσιν, τὰ δ' οὐ κατὰ προαίρεσιν, ἀμφοῖν ἐν τοῖς ἕνεκά τού, quædam ex prælectione, alia verò non ex prælectione fiunt, ambo autem in iis sunt, quæ propter finem fiunt. Simplicius censet vocabulum, ἀμφοῖν, complecti non contradicentia hæc, uti nobis videtur, sed fortunam & casum. Perinde quasi diceret Ari-

Aristoteles, *positum sit, ambo hæc* (Fortunam & casum) *in his esse, quorum gratiâ aliquid fieri soleat.* Pergit autem Schegkius ita: *Ex fine, quem ἕνεκα τοῦ appellat, & quod causa finis suscipitur, ratio capienda omnis est, quorum utrumq; secundum se & non secundum accidens usurpari consuevit. Et quemadmodum in reliquis duplex ratio est tum causæ, tum effectus, quâ & per se & per accidens dicuntur, eadem quoq; in causa finiente, & gratiâ cujus aliquid fit, ratio versari consuevit. Etenim effectus est, cujus causa per se finiens non fuerit, sed secundum accidens. In quibus efficiens quidem vel arbitrium nostrum est, vel natura, à quibus quicquid efficitur, aut est causa, gratia cujus movebant aliquid, aut tale quid possit esse, ut ejus gratiâ fiat, aut moveatur aliquid, quanquam modo non sit gratia, cujus moverit & tantùm secundum accidens finis, sive finiens causa appellari debeat. Efficientibus tamen causis fines non desunt, quas nihilominus, consequuntur quasi τῷ συμβεβηκότος finiente causa mutilatæ, nisi, si quâ ad eos (: ut est & dicitur fortuna:) secundum accidens pertinet, ut est forum ingressus. ut emeret, non ut debitum exigeret, alter finis per se, alter se-*

cundum accidens, & propter aliud quasi interveniens & adnascens principali fini, cujus causa fortuitæ causæ per se adjungitur. Hinc concludit tandem: *Quæcunq; igitur secundum se, & gratiâ quorum fiat aliquid, eventæ esse possunt, eadem si aliis per se eventis accidant, causam habere fortuitam, aut casu evenire certum est. Proinde idem in causa finali, quod reliquis tùm effectis, tùm causis, usu evenire exploratum est. Esse enim aliud per se, interdum secundum accidens aliquid dici solet. Per se enim Socrates disciplinæ capax est, palliatum verò & togatum accidit ei. In causis par ratio. Ædificator per se ædificat, albus aut Musicus per accidens. Eodem modo fines differunt.* Hactenus Schegkius.

§. XVI. Quæ omnia num benè satis se habeant, nunc non disputo, id saltem inde prodendum fuerat, quod & ipse fortunam & casum, ceu causas per accidens, distingvat ex differentia effectorum: quodq; exactè distingvat inter hæc tria: *1. Esse. 2. Causam esse. 3. Finem seu effectum esse.* In omnibus tribus, inquit, accidunt quædam, ut ibi differant per se & per accidens. Clarè distingvit ea, quæ per accidens sunt, vel fiunt in effectibus ab illis, quæ in causis sunt per accidens.

Totus

Totus verò ejus discursus eò abit & tendit, ut fortunam & casum ita esse in effectis, ut ab effectorum & finium differentiis ratio desumenda sit, & in diversitate effectorum observetur. Scilicet ut Simplicius benè monuerat in iis, quæ casu fiunt, & fortunâ unam esse causam, quæ agat per se & per Accidens. Diversitatem autem & distinctionem esse in effectis, quæ sunt vel per se intenta, vel fortuita & casualia. Hinc nata est illa communis opinio, quâ casum & fortunam referunt ad illas causas per accidens, quæ ex parte effectus ita dicuntur.

§. XVII. Verum enim verò sobriè hæc omnia, atque in sano sensu intelligenda, & cum grano salis accipiēda sunt. Communissima quidem & antiquissima ea est Peripateticorum sententia, eò tamen trahenda nequaquam est, ut inde statuatur, casum & fortunam esse non causas, ut Adversarii loqvuntur, æqvivocè tantùm dici causas, ibiqve terminum per accidens esse alienationem. Hoc caput causæ est, de qvo nunc controvertitur, qvod contra Adversarios strenuè

negamus & pernegamus. Non utique ignoramus, quid jam olim de causa per
n. accidens scripsit Johan. Versor in quæst.
r. Phys. super lib. 2. Phys. cap. 2. *Sciendum*, inquit, *omnis causa per accidens dicitur dupliciter. Unô modô ex parte causæ, aliô ex parte effectus. Quando scilicet aliquid accidentaliter contingit effectui per se, ita ut rarò, & non semper conjungatur, v. gr. si diceretur, quod ædificator est causa discordiæ, quæ ex domo facta consurgit. Et isto modo; quia pergit ad hoc, ut aliqua causa per accidens dicatur fortuna respectu alicujus effectus, oportet, ut cooperetur ad esse talis effectus. Ita ut si non sit illa causa, effectus non esset, & sic album non est causa fortuita respectu domus, &c.* Sed totius controversiæ cardo in eo vertitur, *cur, & quomodo causa per accidens dicatur ex parte effectus.*

Caput cõtroversiæ de fortuna & casu. Num propterea & eô prorsus sensu, ut de influxu causæ verè nihil participet, vel ex parte causæ nihil influat in ejusmodi effectus fortuitos, fortunâ s. casu productos, adeoq; ea non sint veræ causæ. Hoc, inquam, caput controversiæ est. Quod & nos strenuè negamus, quamquam eorum omnium, quæ hîc hodiè dispu-

disputantur, litem non penitus faciamus nostram.

§. XVIII. Argumentum Adversariorum supra oppositum hâc vice nobis excutiendum est, atqve refutandum. Cujus Major, sive prima propositio ista erat:

Qvod est causa per accidens ex parte effectûs, illud non est vera causa.

Hanc, dico, propositionem non esse simpliciter veram, cùm multæ causæ per accidens dicantur ex parte effectûs, qvæ tamen sunt veræ causæ, & reverà influunt in causatum, ut patet ex homicidiis fortuitis, & improvisis, ex damnis qvibusvis, malisqve imprudenter illatis, ex operibus incautè factis. Ubi qvidem Autores illorum facinorum dici solent causa per accidens ex parte effectus, fatentibus ipsis Adversariis, qvi hunc morem, modumqve loqvendi Philosophorum, constanter observant, reverà tamen illa mala aut opera fecerunt, adeoqve veræ causæ sunt. Homicidæ sunt, & dicuntur, qvi casu aut imprudenter hominem interficiunt, de qvibus lex divina pronunciat *Num.* 35. 23. *Si homicida casu*

Homicidia fortuita.

absq; inimicitiis impulerit sive percusserit aliqvem, aut in eum projecerit qvoddam instrumentum absqve insidiis, aut aliqvem lapidem, qvo moriatur, qvem priùs non videbat, & cadere fecerit super illum, mortuusq; fuerit, & ipse non erat ipsi inimicus, neqve qværebat malum ejus, tunc judicabit congregatio inter percussorem, & propinqvum sanguinis, & eruet homicidam è manu ultoris: Item: *Deuteron. 19. vers. 5. Hæc res est homicidæ, qvi fugiet ad asyla, & vivet, qvi percusserit proximum suum ignoranter, neqve oderat eum prius, qviq; abierat cum proximo suo in sylvam ad cædenda ligna, & impulsa fuerit manus ejus in securim ad cædendum ligna, elapsum autem fuerit ferrum è ligno, percusseritq; proximũ suum, ut moriatur &c.* Ejusmodi homicidæ per accidens tales sunt, propriè tamen & reverà occidunt, & veræ causæ sunt homicidii.

§. XIX. Dicuntur autem causæ per accidens ex parte effectûs, non propterea qvasi causa ista nullo prorsus modo influat in effectum fortuitum, aut qvasi ex parte sui nihil influat in id, qvod cum effectu accidentaliter conjungitur: Non,

Non, inqvam, propterea denominari solet ex parte effectus causa, sed ideò, qvòd interveniens externum accidentarium effectui per se intento accidat, id qvod præter omnem expectationem agit illa causa. Reverà ergò operatur, reverà producit effectum fortuitum, sed qvia id contigerit ex eventu in effectis, & ob concursum diversorum effectorum, indeqve aliud agendo objectum insperatum tetigerit, sicqve per accidens suo motu aliqvid effecit, qvod noluit, ideò causa per accidens ex parte effectûs salutatur. Idem judica de reliqvis fortuitis causis. Unde casus & fortuna à Philosophis dicuntur Causæ per accidens ex parte effectûs; non ob solum nudumqve concursum effectorum, ut Adversarii opinantur, qvasi nihil agant, nihilqve efficiant, sed ob concomitantem effectorum productionem, qvod in effecto proprio per se intento alius simul insperatus efficiatur, qvi fortuitò & casu acciderat actioni agentis. Item, qvòd differentia illarum causarum per accidens ex differentia effectorum desumi ac æstimari soleat, qvanqvam ex

parte

parte causæ omnino etiam influxus aliqvis procedat in ejusmodi effecta fortuita. Sed hac de re alius dicendi locus erit. Nunc sufficit ostendisse causas fortuitas & casu agentes, qvæ ex parte effectus sic dicuntur, esse qvoqve veras causas, realiter in sua effecta influentes. Hactenus ergò inconcussa stat nostra sententia, qva statuimus, causam per accidens non æqvivocè sic dici, nec per rationem alienationis, uti adversa pars opinatur, sed analogicè, ita ut realis qvoq; & suo modo vera sit causa.

SOLI DEO GLORIA.

VIRO

✻✻✻✻

VIRO
CLARISSIMO, PHILOSOPHO
NON VULGARI,

DN. M. JOHANNI SCHARFIO,

In almâ Leucoreâ Facultatis Philosophicæ Adjuncto longè dignissimo, Domino, Amico & Fautori plur. observando;

Qvùm ei *Nominalis dies* Anno 1625. ipsâ solennitate JOHANNIS BAPTISTÆ recurreret, applaudebat.

SCHARFI, peritum qvem Sapientia
Regnis Magistrum præposuit suis,
Natale nunc hæc ipsa *Sidus*
Officiosa tuum celebrat.

Tributa paucis tot bona nempe sunt,
Sublime pectus qveîs cluis, Hesperi
Et more divinam venustas
Stirpis Apollineæ cohortem.

Hæc

✻✻✻✻

Hæc ipsa donec stat Sapientiæ
Columna, crescunt non minùs artium
Momenta; Musis non creabit
Invida barbaries periclum.

Stes ergò, SCHARFI docte, tibi Parens
Immensus orbis fausta det omnia:
Doctore tali pura veræ
Integritas Sophiæ perennet.

EPIGRAMMA.

MEns ubi non vivit, vix dici vita meretur:
Vita est, ingenuis posse vigere bonis.
Plus aliis, SCHARFI, qvia tu scis, plus qvoqve vivis:
Anteit & multos hæc tua vita Sophos.
Ut neget hoc livor; non sêcla futura negabunt:
Nunc ita qvi vivis; pòst mage vivus eris.
Utq; cadat corpus, corrumpi nescia mens est:
Ingenio, SCHARFI, non moriére tuo.

JOHAN. DUCHON,
Ung. Poët. Laur.

INDEX

INDEX RERUM.

A.

Absolutum qvid sit. 271
qvotuplex. ibid.
Abstractio vel rei vel vocum. 44
Abstractio conceptuum à se invicem. 385
Accidentia qvomodo existant. 10
Accidentis vox. 307
Accidens qvid sit. ibid.
Accidens prædicabile. 308
Accidens prædicamentale. ibid.
Accidentium summa genera. 309
Actio. 328
Actio immanens & transiens. 329
Actio naturalis. 330
Actio artificialis. ibid.
Actio causarum naturalium directa. 153
Actio reflexa. ibid.
Actus qvid sit. 105. 106.
Actus vel essentiæ vel subsistentiæ. ibid.
Actus existentiæ non distingvitur ab actu essentiæ. 107
Actus purus & impurus. 108
Actus primus. 109
Actus formalis & actus secundus. 110
Actus exercitus & signatus. ibid.
Actus perfectio potentiæ. ibid.

Actu primo posito non statim infertur secundus. 112
Actu secundo negato non statim negatur actus primus. *ibid.*
Adjunctum qvid. 280
Adjunctum proprium commune. *ibid.*
Æternitas. 333
Ævum. *ibid.*
Affectiones Entis vel primariæ vel secundariæ. 46
Affectiones unitæ. *ibid.*
Affectiones disjunctæ immediatæ. 91
Affectiones disjunctæ mediatæ. 196
Affectus. 318
Agens omne propter finem agit. 340
Aliqvid. 13
Ampliatio. 316
Analogia. 400
Analogia ἀφ' ἑνὸς καὶ πρὸς ἓν in qvo consistat. 401
Antecedens qvid. 122
Antiqvissimum omne verissimum. 70
Appetibilitas boni proprietas. 79
Artificialis æqvivocatio. 256
Artificiale qvid. 258
Artificiale qvot modis distingvatur à naturali. *ibid.*
Attributa unius ejusdemq; essentiæ virtualiter distingvantur. 211

Boni-

B.

Bonitas qvid. 77
Bonum vel verum vel apparens. 79
Bonum transcendentale. 80
Bonum naturale & morale. 81
Bonum per essentiam. 82
Bonum per participationem. 83
Bonum absolutè & alicui. 84
Bonum utile. 85
Bonum naturæ & fortunæ. *ibid.*
Bonum est communicativum sui. 90

C.

Causa qvid sit. 125
Causa per se. 126. 129.
Causa per accidens. 128. 411.
Causa ordinaria & extraordinaria. 130
Causa prima suprema. *ibid.*
Causa prima proxima. 131
Causa secunda. *ibid.*
Causa universalis. 132
Causa particularis. *ibid.*
Causa particularis remota. *ibid.*
Causa particularis proxima & adæqvata. 133
Causa inadæqvata. *ibid.*
Causa verè dicta qvænam. 134
Causa sine qva non. *ibid.*
Causæ conjunctæ. 135
Causæ simplices. *ibid.*

Causa in actu. ibid.
Causa in potentiâ. ibid.
Causæ internæ. 136
Causæ externæ. ibid.
Causa prior est effectu. 137
Causâ sublatâ tollitur effectus. 138
Causa qualis, talis effectus. ibid.
Causâ positâ ponitur effectus. ibid.
Causa efficiens. 149
Causa efficiens principalis. 150
Causa impulsiva. 151
Causa προηγουμένη. ibid.
Causa προκαταρκτική. ibid.
Causa instrumentalis. ibid.
Causa naturalis. 151
Causa voluntaria. 152
Causa per transmutationem & per emanationem. 153
Causa solitaria. 154
Causa socia. ibid.
Causa univoca. 155
Causa æquivoca. ibid.
Causa positiva. 156
Causa privativa. ibid.
Causa præparans. 157
Causa adjuvans. ibid.
Causa perficiens. ibid.
Causa efficiens uniformiter agit. 158

Causa voluntaria dissimiliter agere potest. ib.
Causæ sociæ pro unâ stant. ibid.
Causa efficiens non excludit instrumentum. ib.
Causatum quid. 136
Cognitio humana. 383
Cognitionis veritas in quo consistat. ibid.
Communicabile quid. 247
Communicatio realis. 246
Communicatio unius essentiæ ad diversos modos. ibid.
Communicatio inter accidentia diversa. 249
Communicatio inter substantiam & accidens. ibid.
Communicatio substantiarum. 250
Communicatio inter substantias separatas quot modis contingat. ibid.
Communicatio inter substantias unitas, seu κατὰ συνδύασιν ibid.
Communicatio intellectualis. 251
Completum quid. 268
Completum absolutè. ibid.
Completum comparatè. 269
Completum in essendo. ibid.
Completum in subsistendo. ibid.
Complexum omne concretum non est. 40
Compositum quid sit. 226
Compositio ex materiâ & formâ. ibid.
Compositio ex partibus quantitativis. 227
Compositio ex subjecto & accidente. ibid.

Compositio ex naturâ & supposito. 227
Compositio ex esse & essentiâ. ibid.
Compositio ex genere & differentiâ. ibid.
Compositio essentialis. 228
Compositio accidentalis. ibid.
Composita sunt omnia præter Deum. 230
Compositio est nomen imperfectionis. ibid.
Conceptus Entis Objectivus. 21
Conceptus formalis. ibid.
Conceptus analogicus. 23.
Consequens qvid sit. 123
Contingens qvid sit. 172
Contingentia intrinseca. ibid.
Contingentia extrinseca. ibid.
Contingentia ex causis proximis est. 173
Contingentia in rebus datur. ibid.
Contingentiam præscientia divina non tollit. ibid.
Contradictio explicita. 221
Contradictio in adjecto ratione potentiæ divinæ non temerè asserenda. 124
Corruptibile qvid. 193
Corruptibile ab extra. ibid.
Corruptibile ab intra. ibid.
Corruptio vel totalis vel partialis. 195
Corruptibilia omnia sunt præter unum. 196
Creatio qvid. 184
Creatum qvod est, dependens est. 187
Creatum omne ab increato. ibid.

Depen-

D.

Dependens. 176
Dispositio. 317
Distinctio Realis. 204. 206.
Distinctio suppositalis non rarò essentialis. 209
Distinctio essentialis. *ibid.*
Distinctio ex natura rei. 210
Distinctio virtualis & formalis. *ibid.*
Distinctio modalis. 212
Distinctio rationis. *ibid.*
Distinctio rationis eminentis. 215
Distinctio absq; fundamento reali nulla. 216
Diversas essentias quæ habent, distinguuntur realiter. *ibid.*
Distinctio realis non statim quoque est essentialis. 217
Distinctio modalis tantùm reverà in creaturis. *ibid.*
Distinctionis realis terminus quomodo amplietur. 398

E.

Ens quid. 10
Entis ὁμωνυμία. 12
Ens excellentiam dicit. 23
Ens primum principium essendi, operandi & cognoscendi. 24
Ens & non-Ens primam inferunt contradictionem. *ibid.*

Ens incomplexum. 26
Ens complexum. ibid.
Entis complexio & incomplexio variè contingit. 27
Ens rationis. 28
Ens reale. ibid.
Ens per se & per accidens. 36
Entia per accidens quomodo fiant. 38
Ens positivum. 41
Ens privativum. 42
Ens omne bonum. 79
Entitas. 13
Ens à se. 181
Ens ab alio. ibid.
Entis species analogæ sunt substantia & accidens. 263
Essendi ratio quænam. 7
Essentia quid. 8
Essentia & existentia ratione saltem distinguuntur. 10
Essentia una tantùm est unius Entis. 23
Essentiale quid. 18
Essentiale vel constitutivum vel consecutivum. ibid.
Essentiale & reale differunt. 19
Essentia omnis propriam operationem habet. 20
Essentiam quod habet, Ens est. 21

Exi-

Existentia quid. 8
Existentiæ ὁμωνυμία ibid.
Experientia quid. 117.118.

F.

Falsa possibilia. 74
Falsa impossibilia. ibid.
Falsa apparentia. ibid.
Falsitas propriè non est in rebus. 75
Figura & forma. 318
Finis. 159
Finis principalis. ibid.
Finis principalis ultimus. 160
Finis principalis in certo genere. ibid.
Finis secundarius. ibid.
Finis cui. 161
Finis cujus. ibid.
Finis qui sit. 162
Finis qui obtinetur. ibid.
Finis primus in intentione, ultimus in executione. 162
Finis præstantior mediis. ibid.
Finis principalis non tollit minus principalem. ibid.
Fine præsente actio cessat. 163
Finis secundarius æstimatur ex ultimo. ibid.
Perfectionem accipit ex ultimo. ibid.
Finitum quid. 188
Finitū in essentiâ finitū quoq; in attributis. ib.

Finitum in virtute. 189
Finitum in operatione. *ibid.*
Finitum in duratione. *ibid.*
Finitum in præsentia. *ibid.*
Finiti potentia non est infinita. 190
Forma qvid. 146
Forma informans. *ibid.*
Forma adsistens. *ibid.*
Forma essentialis. *ibid.*
Forma accidentalis. *ibid.*
Forma Physica. 147
Forma Metaphysica. *ibid.*
Forma generica. *ibid.*
Forma specifica. *ibid.*
Forma & materia principia simul existentia sunt. 148
Forma dat esse rei. *ibid.*
Formâ positâ, Esse, distinctio & operatio ponuntur. *ibid.*
Forma unica unius rei. *ibid.*
Formale qvid. 19
Formalis ratio. *ibid.*
Forma sumitur multipliciter. *ibid.*

G.

Generatio de sese qvid inferat. 405
in Generatione humanâ sunt via & terminus. 406

Ha-

H.

Habitus quid. 314. 339
Habitus infusus. 315
Habitus acquisitus. ibid.
ad Habitum acquisitum quæ requirantur. 316
Habitus intellectuales. ibid.
Habitus intellectuales sunt vel instrumentales, vel principales. 317
Habitus morales. ibid.
ad Habitum refertur dispositio. ibid.
Habitus seu habere. 339

I.

Idem manens idem semper aptum est facere idem. 204. 157
Identitas quid. 196. 197
Identitas suppositalis. 198
Identitas essentialis. ibid.
Identitas Essentialis fit duplici modo. ibid.
Identitas generica. 199
Identitas analogica. ibid.
Identitas specifica. 200
Identitas numerica. ibid.
Identitas causalis. ibid.
Identitas effectiva. 201
Identitas subjectiva. ibid.
Ignorantia puræ negationis. 73
Ignorantia pravæ dispositionis. ibid.
Imperfectum quid. 266

Imperfectio privativa. 267
Imperfectio negativa. ibid.
Impotentia naturalis. 317
Incommunicabile quid. 251
Incompletum. 270
Incorruptibile quid. 195
Increatum quid. 184
Increatum quod est, à se est. 185
Increatum est unum tantum. ibid.
Independens quid. 179
Independens κατὰ τὸ. ibid.
Individuum quid. 244
Individuationis principium. ibid.
Infinitum Ens. 190
Inhærentia quid. 22
Inquisitio in formale termini. 391
Instrumentum extra usum nihil. 151. 153.
Intellectus noster non mensurat res, sed mensuratur à rebus. 383

L.

Liberatio termini ab omni Imperfectione. 403

M.

Malum quid. 85
Malum vel reverâ vel apparens. ibid.
Malum naturale & morale. 86
Malum culpæ. 87
Malum pœnæ. ibid.

Malum pœnæ non absolutè malum. 88
Malum ἁπλῶς dictum. ibid.
Malum alicui. ibid.
Malum tantùm à causâ secundâ. 89
Materia quid. 140
Materia in quâ, circa quam & ex quâ. ibid.
Materia prima. 141
Materia secunda. 142
Materia transiens. 143
Materia permanens. ibid.
Materia productionis. ibid.
Materia compositionis. 144
Materiale. 19
Materialis ratio. ibid.
Mensura quid. 287
Mensura quantitatis. 288
Mensura perfectionis. ibid.
Mensura cognitionis. ibid.
Mensuratum. 290
Metaphysica an sit. 2
Metaphysica est universalissima scientia. 3
Metaphysica quid sit. 4
Metaphysicæ omnes sapientiæ conditiones conveniunt. 5
Metaphysicæ Objectum, finis, & partes. 45
Multum. 58
Multitudo. ibid.
Multum numero. ibid.

Multa essentia. ibid.
Multitudo omnis de uno participat. 62

N.

Natura quid. 14
Naturæ ἐτυμολογία. 14. 15
Naturale quid. 18
Naturalis æquivocatio. 253
Natura naturans. ibid.
Natura naturata. 254
à Naturâ esse quot modis sumatur. 257
secundum Naturam esse. ibid.
præter Naturam. ibid.
contra Naturam. 258
supra Naturam. ibid.
Necessarium quid. 163
Necessarium complexum. ibid.
Necessarium incomplexum. ibid.
Necessarium absolutum. 164
Necessarium Independens. ibid.
Necessarium dependens. ibid.
Necessitas Physica. 165
Necessitas efficientis. ibid.
Necessitas finis. 167
Necessitas formæ & materiæ. ibid.
Necessarium hypotheticum. 168
Necessitas consequentis. ibid.
Necessitas consequentiæ. ibid.
Necessitas omnis à causis proximis oritur. 170

Neces-

Necessitas simplex omnem tollit contingentiam. ibid.
Necessaria ex hypothesi sunt & contingentia. 271
Necessitatem libertas non tollit. ibid.
Nihil & Non-Ens. 24
Non Entis nullæ affectiones. 56
Numerus vel Transcendens vel prædicamentalis. 57
Numerus. 309
Numerus numerans. ibid.
Numerus numeratus. ibid.

O.

Objection . . . 141
Operatio & opus quomodo distinguantur. 137
Oppositio quid. 220
Oppositio relativa. ibid.
Oppositio contraria. ibid.
Oppositio privativa. 221
Oppositio contradictoria. ibid.
Ordo quid. 58
Ordo multorum. 59

P.

Pars quid. 233
Partes essentiales. ibid.
Partes integrales. 234
Partes similares. ibid.
Partes dissimilares. ibid.
Partes principales. ibid.

Partes

Partes minus principales. 235
Passio quid. 303
Passio corruptiva. ibid.
Passio perfectiva. 304
Passio transmutativa. ibid.
Passio intentionalis. ibid.
Patibilis qualitas. 318
Peccatum privatio propriè dicta. 37
Perfectum quid. 261
Perfectum absolutè. ibid.
Perfectum in certo genere. ibid.
Perfectio transcendentalis. ibid.
Perfectio naturalis. 262
Perfectio moralis. ibid.
Perfectum quomodo sumatur. 263
Perfectio partium. 264
Perfectio graduum. ibid.
Permanens. 275
Persona in concreto. 299. 300
Persona à supposito quomodo differat. ibid.
Personalitas. 302
Personæ divinæ an differant realiter. 398
Philosophia quomodo vulgò dupliciter consideretur. 10
Philosophicæ veritatis fundamentum non sunt libri & autoritas humana. 305
Philosophia non est cerebri humani figmentum. 382

Potentia quid. 91.92
in Potentia esse quotuplex. 93
Potentia essentialis & activa. 94
Potentia infinita. 96
Potentia infinita vel absoluta vel ordinaria. ibid.
Potentia finita. 97
Potentia vel rationalis vel irrationalis. 98
Potentia passiva. 99
Potentia passiva Angelis competit. ibid.
Potentia naturalis. 100
Potentia obedientialis. 101
Potentiæ activæ terminus quomodo amplietur. 390
Principium vel negativè vel positivè sumitur. 113
Principium vel absolutè vel secundum quid datur. 114
Principium quid. ibid.
Principium primariò dictum. 115
Principium essendi. ibid.
Principia cognoscendi. 116
Principia cognoscendi prima. ibid.
Principia unde cognoscantur. 117
Principia per ἀναλογίαν dicta. ibid.
Principium in dignitate. 118
Principium in ordine. ibid.
Principium originis. ibid.

Principium prius principiato. 119
Principio mutato, facilè quoq; principiata mutantur. ibid.
Principia qui negat, contra eum non est disputandum. 20
Principiatum quid. 121
Priora. 118
Prioritatis modi. 119
Privatio requirit subjectum habile. 41
Privatio & negatio quomodo differant. ibid.
Privationis ὁμωνυμία. 40
Privatio vel primaria vel secundaria. 42
Privatio vel totalis vel partialis. ibid.
Privatio vel Logica vel Physica. ibid.
Privationes Entia realia. ibid.

Q.

Qualitas quid. 313
Qualitatis species. 314
Quando. 334
Quando quid. ibid.
Quando non est ipsum tempus. 335
Quantitas quid. 308
Quantitas continua. ibid.
Quantitatis continuæ species. 309
Quantitas discreta. 310
Quidditas. 16
Quidditas & essentia quomodo distinguantur. ibid.

R.

Reactio qvid. 153
Reale qvid. 17
Relata secundùm dici. 312
Relata secundùm esse. ibid.
Relatio subsistens. ibid.
in Relatis 5. debent notari. 324
Relatio mutua. ibid.
Relatio non mutua. ibid.
Relatorum proprietates. 325
Res qvid sit. 13
Rei ἐτυμολογία. ibid.
Res & Realitas qvomodo à Scotistis distinguantur. 16
Res non existens est nihil. 38

S.

Signum. 283
Signum necessarium. ib.
Signum nudum. 284.
Signum exhibitivum. ib.
Signum notificans. 285
Signum commonefaciens. ib.
Signa prognostica. 286
Signatum. ib.
Simplex qvid. 224
Simplex in certo genere. ib.
Simplicitas summus unitatis gradus. 229
Singulare qvid. 241

Singulare est omne quod est. 245
Singulari producto, universale quoque producitur. ib.
Situs. 338
Subjectum quid. 277
Subjectum inhæsionis. ib.
Subjectum denominationis. ib.
Subjectum informationis. 278
Subjectum tractationis. ib.
Subsistentia quid. 7. & 294
Subsistere sumitur generaliter & specialiter. ibid.
Substantia. 293. 295.
Substantia incompleta & completa. 296
Substantia universalis & singularis. 297
Substantia prima & secunda. 298
Substantia spiritualis, eadq; vel infinita. ibid.
vel finita. 203
Substantia corporea. 204
Successivum Ens. 275
Suppositum in concreto. 299
Suppositalitas. 301
Suppositum & persona quomodo differant. ibid.

T.

Terminus. 16
Totum quid sit & quotuplex. 230
Totum perfectionale. 231.

Totum essentiale. *ibid.*
Totum integrale. *ibid.*
Totum potestativum. 232
Totum universale. *ibid.*
Totum individuale. *ibid.*
Totum numerale. 234
Totô positô, omnes partes poni necesse est. 235
Transcendentia definitiones exactas non habent. 12
Ubi. U. 336
Ubi circumscriptivum, & definitivum. 337
Veritas qvid. 67
Veritas vel complexa vel incomplexa. 68
Veritas in essendo. 69
Veritas conceptuum. *ibid.*
Veritas in cognoscendo. *ibid.*
Veritas ethica. 72
Veritas sententiarum. *ibid.*
Veritas connexionum. *ibid.*
Veritas una tantùm. *ibid.*
Veritas cognitionis in qvo consistat. *ibid.*
Veritatis oppositæ. 73
Veritatis Philosophicæ fundamentum non sunt libri, seu autoritas humana. 383
Unio. 58. 59.
Unio vel realis vel verbalis. 60.
Unio essentialis. 61.
Unio suppositalis. *ibid.*

Unio personalis. 62
Unio accidentalis. ib.
Unio accidentalis qvomodo contingat. ib.
Unio verbalis. ib.
Unio vel interna vel externa. ib.
Unio externa vel propria vel impropria. ib.
Unio socialis. 63
Unio moralis. ib.
Unum & unitas qvid. 47
Unitas formalis ratio. 391
Unum per se vel per accidens. 48
Unum per se vel simplex vel compositum. 49
Unum numero. 52
Unitas numerica duplex. ib.
Unitas materialis. 54.
Unitas formalis. ib.
Unitas universalis. 55
Unum genere. 56
Unum specie. ib.
Unum analogum. ib.
Unum per æqvivalentiam. 57
Universale qvid. 240
Universale simpliciter tale. 241
Universale singularizatum. ib.
Universalia à singularibus neqvaqvam sunt separanda. 244
Universale propriè non extra mentem, sed in mente est. ib.

Sum-

INDEX.

Summaria Methodus totius hujus Compendii.

Proœmium de Natura & Constitutione Metaphysicæ: ubi ejus definitio & divisio proponuntur.

LIBRI PRIMI

Cap. I. De Essentia & Existentia. p. 6.
II. De Communibus Entis Distinctionibus. 28

LIBRI SECUNDI

Cap. I. De Unitate & Unione. p. 46
II. De Veritate. 67
III. De Bono & Malo. 77
IV. De Actu & Potentia. 90
V. De Principio & Principiato. 113
VI. De Causa & Causato. 125
VII. De Materia & Forma. 140
IIX. De Causis Efficientibus. 149
IX. De Fine. 159.
X. De Necessario & Contingente. 163
XI. De Dependente & Independente. 176
XII. De eo, qvod est à se, & qvod est ab alio: Itemq; de Creato & Increato. 181
XIII. De Finito & Infinito. 187

XIV. De Corruptibili & Incorruptibili. 193
XV. De Eodem & Diverso. 196
XVI. De Modis Distinctionum. 204
XVII. De Oppositis. 220
XIIX. De Simplici & Composito. 224
XIX. De Toto & Parte. 230
XX. De Universali & Singulari. 237
XXI. De Communicabili & Incommunicabili. 246
XXII. De Naturali & Artificiali. 253
XXIII. De Perfecto & Imperfecto. 261
XXIV. De Completo & Incompleto. 268
XXV. De Absoluto & Respectivo. 271
XXVI. De Permanente & Successivo. 275
XXVII. De Subjecto & Adjuncto. 277
XXIIX. De Signo & Signato. 283
XXIX. De Mensura & Mensurato. 287

LIBRI TERTII

Cap. I. De Substantia, ejusqve Speciebus. 293
De Suppositio & Persona. 298
II. De Accidentibus in genere, & de qvantitate in specie. 306
De Qvantitate. 308
III. De Qvalitate. 313
IV. De Relationibus Prædicamentalibus. 321

V. De

V. De Secundariis Accidentibus, utpote de Actione, Passione, Quando, Ubi, Situ & Habitu. 328.

CORONIS.

I. Admonitio ad Studiosos. 344

II. *DISSERTATIONES.*

De

Accurato philosophandi genere. 379

&

De Causis per Accidens. 413

FINIS.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn77015199X/phys_0528
DFG

rum 'argumen-
nantur, causam
ram causam, ex
t, qvâ describi
principium per se
e argumentum
usmodi:
git s. per se influit

non influit in es-

n est vera causa.
finitione causæ,
ponit: *Causa est* *Svarez-*
se in aliud. Addit *zius.*
de qva ipse pro-
nem & omnem
ludat, qvæ per
fluunt esse in a-
t Adversarii, ad
ut per se influat

Majorem, nec
ati rei vel qvic-
Sufficit ad ve-
realiter influat
delicet est cau-
sare.

Image Engineering Scan Reference Chart TE263 Serial No. 094
Patch Reference numbers on UTT
C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11
10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9
the scale towards document
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn77015199X/phys_0529
DFG